

## KONNIZIENSE,

Vetustissimum apud Helvetios intrà limites Diœcesis Lausannensis, sub forensi tamen ditione Bernatensi detentum Cann. Regg. S. Augustini Monasterium, antiquitus SS. Petro & Paulo Principibus Apostolorum dicatum & consecratum, olim cœpit ante ipsam Civitatem Bernatensem anno 1191. à Bertholdo Zäringiae Duce conditum in Pago Konniziensi primitus fundatum, & inædificatum authore haud amplius inquirendo, fuit tamen filia Canoniæ Interlacensis paulò antè recensitæ, simul & Parochialis Ecclesiæ memoratæ Civitatis Bernatensis, sat longo tempore in id usurpata; Verùm hoc ipsum Konniziense Cœnobium jam pridem interiit, nempè post sœpe fatam Civitatem Bernatensem anno 1525. perversa Calvini dogmata amplexam, itidem à Neotericis Bernatenibus Calvinianis in apertissimum Orthodoxæ Religionis odium meritissimè succisum & annihilatum; cuius proin alia haud amplius in scriptis superat memoria, quām ea, quæ deprehenditur apud sœpè citatum Casparum Langium Part. I. fol. 693.



## Littera L.

## LANDSCRONENSE,

Monasterium Diœcesis Luthomisliensis in Boëmia superioribus annis inclytum, atque in honorem, & ad laudem Dei Omnipotentis, Beatissimæ Virginis Mariæ, nec non Sancti Nicolai Episcopi Confessoris, & S. Catharinæ Virg. & Martyris fundatum est antè portas Civitatis Landscronensis anno gratiæ 1371. Authore Reverendiss. D. D. Petro de Sternberg Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Luthomisliensis Ecclesiæ Episcopo, qui ad perpetuam rei memoriam pro stabienda nova fundatione ista proprias quasdam dedit litteras sub hujusmodi tenore conscriptas :

„Petrus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Luthomisliensis ad omnium & sin-  
„gulorum, ad quos præsentes pervenerint, volumus notitiam pervenire, Quod li-  
„cet universis, qui divinis mancipantur officiis, & obsequiis divini cultus deputantur,  
„digno ac congruo prosequendi sunt favore, hi tamen prærogativa quādam speciali  
„non immerito sunt præferendi, per quos in mentibus fidelium sincera excrescit devo-  
„tio, ac via veritatis, & virtutum gressu salutifero plurimū frequentantur, sanè at-  
„tendentes, quod in Regno Boëmia hæc Sancta Canonicorum Regularium nigrorum  
„Ordinis S. Augustini exiguo, quo ibidem nutrita subsistit Religio, quod non solùm ex  
„ingenio ejus Professores Monasterii suorum honorabilibus structuris, & aliarum rerum  
„potiuntur, sed etiam pauperibus copiosas eleemosynas erogant, varia pietatis opera  
„exercent, simplices erudiunt, ac loca, in quibus Monasteria eorum consistunt, ex-  
„emplis & doctrinâ radiantes illustrant. Volentes igitur tam fidelibus nostri Lutho-  
„misliensis Districtus consulere, quām Religiosis dicti Ordinis providere, nec non di-  
„vinum cultum augmentare de voluntate, & expresso consensu Capituli nostri ante por-  
„tas Civitatis nostris Luthomisliensis Diœcesis in honorem & laudem Omnipotentis Dei,  
„& Sanctæ Matris ejus, ac Divini cultus augmentum Monasterium prædictorum Cano-  
„nicorum Regularium Ordinis S. Augustini de pecuniis propriis nobis à Deo collatis  
„construximus, ædificavimus, fecimus, & tradidimus, ipsūmq; Monasterium compe-  
„tentibus redditibus dotavimus, & sibi providimus de iisdem, quod quidem Monasterium  
„in Beneficium & Præposituram Ord. Cann. Regg. nigrorum S. Augustini ordinaria au-  
„thoritate erigimus, facimus, ordinamus, & creamus. Ita, quod duodecim Canonici  
„seu Fratres aut plures, duntaxat & redditum sustinentia præstabit, ibidem instituti &  
„recepti per Præpositum per ipsos Canonice electum regantur, & etiam gubernentur  
„juxta regularia statuta; statuentes etiam, quod Præpositus & Canonici sex pauperes &  
„infirmos ad Monasterium recipere teneantur, quibus necessaria vitæ, dum vixerint,  
„ministrabunt; quibus mortuis alii in locum decedentium subsequentur. Et Nos Ni-  
„colaus Prior, Redwinus Custos, Siboldus Scholasticus, totūmq; Capitulum Litho-  
„mislii attendentes intentionem & propositum dicti Reverendi in Christo Patris & Do-  
„mini Domini Petri Episcopi nostri ex pietatis & misericordiæ visceribus emanare præ-  
„habitis tractatibus diligentibus, & deliberatione maturâ non solùm bis vel ter imo  
„pluries ad hoc capitulariter in loco celebrantes Capituli more solito congregati non  
„per errorem, sed de certâ scientiâ dictæ creationis consentimus, & eam ratificamus,

## 16 GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA.

„ac de verâ scientiâ nostrâ approbamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum,  
„unâ cum Sigillo Reverendissimi in Christo Patris Episcopi Luthomislii prædicti præsen-  
„tibus sunt appensa. Datum & actum in Luthomislio anno Domini Millesimo trecento-  
„simo septuagesimo primo, octava die mensis Augusti.

(L.S.)

(L.S.)

Eandem fundationem ratam, gratâmq[ue] habentes suis itidem ( quorum cōpias ad-  
huc desideramus ) Diplomatibus seu Bullis itidem in hunc finem clementissimè datis legi-  
timè confirmârunt Urbanus Papa VI. & Carolus IV. Romanorum Imperator, idem etiam  
Rex Bohemiæ & Marchio Moraviæ. &c. & cùm subsequentibus annis ob defectum re-  
rum temporalium Canonia hæc Landscronensis gravius premeretur, Reverendissimus  
Dominus Dominus Albertus Petri antedicti Venerab. memoriae Primarii fundatoris Suc-  
cessor in Episcopali dignitate proximus, in Supplementum congruæ sustentationis amplius  
superaddidit ipsammet Parochialem Landsroniensis Civitatis Ecclesiam, cum pleno jure  
eam in perpetuum possidendam, prout fusiū explanant novæ dotationis hujus litteræ  
ad perpetuam rei memoriam clementissimè in id impertitæ, quæ sic sonant:

**I**n Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen, Amen. Albertus Dei Gratia Litho-  
misiensis Episcopus ad perpetuam rei memoriam. &c. Universis ad quos præsentes per-  
venerint Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Etsi loca singula divino cultui  
mancipata eâ incumbente nobis curâ pastoralis officii benigno favore prosequi teneamur,  
illis tamen debetur amplius pietas, quæ cultus Religionis exornat, & vocabulum pietati.  
Sanè honorabiles & Religiosi Viri Domini Henricus & Conventus Canoniconorum  
Regularium Ord. S. Augustini Monasterii nostri in Landsrona nostræ Diœcesis coram  
nobis proponere fecerunt, quod licet Reverendissimus in Christo Pater Dominus Petrus  
Episcopus Magdeburgensis Amicus noster Charissimus sanctiore ductus consilio ex de-  
votione speciali cordi suo divinitus illapsa ipsum Monasterium fundaverit, erexerit &  
extruxerit opere sumptuoso, ac divini cultus augmentum pro inhabitatione perpetua di-  
ctorum Canonicorum, & remedium animæ suæ, Progenitorum, Fratrum, Sororum &  
omnium animarum fidelium: quorum curam gerit, ac gerit de bonis sibi à Deo collatis  
competenter dotatum, & tamen de facultatibus ejusdem in simplicitate cordis Altissimo  
famulantibus in virtualibus non possint commodè sustentari, & ex eo Horas Canonicas  
& alia divina officia in laudem Dei Omnipotentis non possunt depromere cum celebritate  
consueta, & sic divinus cultus plurimum minuitur & notabiliter demolitur, propter quæ  
nobis humiliter & cum debita instantia supplicarunt una cum præfato Domino fundatore,  
quatenus ad succurrendum inopie, & defectus supradicti Monasterii ad augmentum cul-  
tus divini Ecclesiam Parochialem S. Mariæ in Landsrona cum omnibus pertinentiis suis,  
& quæ prædicto Monasterio ipsorum, & quatenus contigua & valde propinqua ejus col-  
latio, provisio, & alia quævis dispositio ad nos jure ordinario pertinere dignoscitur,  
prænominato Monasterio ipsorum in Landsrona incorporare, unire & annexare digna-  
remur. Nos igitur qui ex debito Pastoralis injuncti Nobis officii dāmis & periculis Ec-  
clesiarum nobis subditarum tenemur occurtere, ne cultus divinus & disciplina Ordinis  
possit in eis impediri ante omnia inquisitione præmissa coram nobis proposita vera esse,  
& utile Supplicationem ipsorum ex præmissis, & aliis rationabilibus causis animum no-  
strum moventibus non solum rationabile & utile, sed etiam necessarium arbitrante ha-  
bito super his cum honorabilibus Viris fratribus nostris & Capitulo Ecclesiæ nostræ Lu-  
thomisiensis sèp[er] certis tractatibus, cæterisque solemnitatibus observatis in præmissis  
de prædictorum Fratrum nostrorum expresso consensu ad laudem & gloriam Dei omni-  
potentis, & ob venerationem Beatissimæ Virginis Mariæ Monasterii ejus Patronæ præno-  
minatæ Ecclesiæ Parochialis in Landsrona, totiusque Curiæ Cœlestis ad augmentum  
cultus divini supradictam Ecclesiam Parochialem in Landsrona cum omnibus juribus, li-  
bertatibus & pertinentiis suis universis tam præsentibus quâm futuris prænominato Mo-  
nasterio Canoniconorum Regularium in Landsrona omni meliore modo & forma, quibus  
possumus, anneximus, incorporamus, appropiamus, unimus, & unione perpetua con-  
jungimus, ipsamque Ecclesiam Parochialem in Landsrona in jus & proprietatem Mona-  
sterii supradicti transferimus, & totum jus ipsius Ecclesiæ in quacunque jurisdictione  
honore & libertate constat, in Monasterium ipsum transfundimus, & esse volumus præ-  
sentis scripti annotatione transfusum juribus & Legatorum Nuntiorum Domini Papæ &  
Sanctæ Sedis Apostolicæ nostris & Successorum nostrorum, qui pro tempore fuerint,  
& aliorum omnium, quorum interest, & intererit quomodolibet in futurum ad utram-  
que legem in omnibus & per omnia salvis, quibus omnibus & singulis per incorporatio-  
nem

nem & nostram præsertim nullum præjudicium volumus generare. Ita tamen cedente aut decedente Andrea Rectore ipfius Ecclesiæ, qui tunc est, liceret prænominatis Henrico Præposito & Conventui Monasterii in Landscröna, qui nunc sunt, & Successoribus eorum, qui de futuro erunt, pro tempore corporalem possessionem & tenentiam ejusdem Parochialis Ecclesiæ in Landscröna jurum & pertinentiarum omnium & singulorum præsentium & futurorum apprehendere virtute præsentium & in perpetuum retinere valeant. Sed quamprimum supradiicti Henricus Præpositus & Conventus Monasterii in Landscröna, aut ipsorum Successores, qui erunt pro tempore Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ in Landscröna sæpedictæ possessionem & tenentiam pacificè obtinebunt, vel adepti fuerint cum effectu, ex tunc Henricus Præpositus, qui nunc est, & Successores ipsius, qui erunt, promptè pro tempore curam animarum plebis & Parochiæ dictæ Parochialis Ecclesiæ in Landscröna quotiescumque eam vacare contigerit, teneantur recipere. Acta sunt hæc præsentibus honorabilibus viris Dominis Nicolao de Guzin Curiæ nostræ Magdeburgensis Officiali, Wenceslao Pragensis, Antero Olomucensis, & Wenceslao Ratisbonensis Ecclesiarum Canonicis, familiaribus, & aliis quæ pluribus fide dignis præsentium & sub appensione sigillorum nostrorum testimonio litterarum. Actum & datum Luthomislii anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo septimo in vigilia Assumptionis Virginis Benedictæ Mariæ, quæ fuit quarta decima dies mensis Augusti. Nos igitur Plohorches Prior, Joannes Custos, & Andreas Scholasticus, totumque Capitulum Luthomisliensis Ecclesiæ notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, qui attendentes Reverendissimi in Christo Patris Domini Petri Archi-Episcopi Magdeburgensis in fundationem Henrici Præpositi totiusque Conventus Monasterii Canonicorum Regularium in Landscröna Luthomisliensis Diœcesis prænominatorum preces fore rationabiles & utiles ad augmentum cultus Divinæ Majestatis notoriè considerantes, præcipue Reverendissimum in Christo Patrem Dominum nostrum gratiosissimum Albertum Episcopum Luthomisliensem divina ratione incorporationem, appropriationem & unionem præmissas fecisse animo deliberato nobis ob hoc ad commune Capitulum sono campanæ ut moris est pluries congregatis supradiictis incorporationi, appropriationi, & unioni Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ in Landscröna fructuum, & pertinentium omnium & singulorum & quomodolibet ab eis dependentium & connexorum eidem sub omni forma & modo in omnibus etiam suis punctis & clausulis, prout hæc omnia in litteris antedicti Domini nostri Luthomisliensis Episcopi expressius distinguntur unanimiter & Capitulariter nemine discrepante vigore præsentium consentimus, in cuius rei testimonium Capitulare nostrum sigillum præsentibus est appensum. Datum & actum in loco Capituli Luthomisliensis anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo undecima mensis Septembris Indictione decima quinta.

Post hæc sæpefatum Landscronense Monasterium istud ob nocivam adeò communis auræ intemperiem & molestissimam loci humiditatem, tum ob frequentes hæreticorum infestationes loco suo motum, atque anno 1393. in ipsam Civitatem Landscronensem fuit receptum, & quidem ad ipsam Ecclesiam supradiictam mansione congrua pro Religiosis Canonicis inibi constructa, Reverendissimo Domino Ordinario Joanne Episcopo Luthomisliensi translationem istam solemniter approbante sequentibus litteris:

**N**os Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Luthomisliensis Commissarius & Executor Unicus ad infra scripta à Sede Apostolica specialiter Delegatus ad notitiam singulorum tam præsentium quæ futurorum deducimus præsentes, quod dudum litteras Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Bonifacii Papæ Noni, cuius vera Bulla plumbea in filis Canabi more Romanæ Curiæ Bullatas sanas & integras, non rafas non cancellatas cum ea, qua decuit reverentia, recepimus tenore infra scripti: Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Joanni Episcopo Luthomisliensi salutem & Apostolicam benedictionem. Exigit magnæ devotionis affectus, quem ad nos & ad Romanam Ecclesiam gerere comprobaris, ut Vobis & tuis illis præsertim, quæ utilitatem & commodum Ecclesiarum ac Ecclesiasticarum Personarum & præsertim sub regulari habitu Domino militantium concernere dignoscuntur, gratiose & favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim bonæ memorie Petrus Episcopus Luthomisliensis Prædecessor tuus quoddam Monasterium Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium ad honorem, & sub vocabulo S. Nicolai Episcopi & Confessoris, & B. Catharinæ Virginis & Martyris propè oppidum Landscronense Luthomisliensis Diœcesis ad mensam Episcopalem Luthomisliensem pertinens de novo instituit, & fundavit per Præpositum regendum & etiam gubernandum, quodque postmodum ad ejusdem Episcopi instantiam & procurationem Parochialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis in eodem oppido consistens, ad collationem Episcopi Luthomisliensis pro tempore existentis tunc pertinens eidem Monasterio per Se-

## 18 GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA.

dem Apostolicam, ut afferitur, unita & annexa ac incorporata extitit, ita quod unus ex Canonicis dicti Monasterii pro tempore ad regimen dictae Ecclesiae deputari & assumi deberet, ac residuum hujusmodi fructum & proventuum dilectorum Filiorum Praepositi & Conventus ejusdem Monasterii usibus cederet. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, praedictum Monasterium situatum sit prope aquas, & in loco valde humido, & aquoso, & propterea Canonici ibi ancillare, & alia commoda eis necessaria habere, prout decet, non possint, tique dubitas propter vicinitatem dicti Monasterii ad oppidum ipsum, & propter guerras, & insultus hostium, qui in partibus istis plus solito, diebus istis invaluerunt, dictum oppidum de facto per hostes praedictos occuparit, & illud te perdere posse in maximum & irreparabile damnum tuum & mensa tuae praedictae pro parte tua nobis fuit humiliiter supplicatum, ut tibi authoritate Apostolica transferendi ipsum Monasterium de loco praedicto ad prefatam Ecclesiam Parochialem eidem Monasterio prefecturam annexam & unitam, quae intra muros ipsius oppidi, & in loco benè securō, & ad hoc benè apto sita est, ac statuendi & ordinandi authoritate praedicta, quod cedente vel decadente dilecto Filio perpetuo Vicario dictae Ecclesiae, qui nunc est, vel perpetuum Vicarium ipsius Ecclesiae alias quomodolibet dimittens Praepositus dicti Monasterii, qui pro tempore fuerit, per se vel alium curam animarum Parochianorum ejusdem Ecclesiae gerere & exercere valeat, licentiam de speciali gratia concedere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae de consilio tamen duorum Episcoporum partium illarum Ecclesiae tuae Luthomisliensi magis vicinorum authoritate Apostolica transferendi prefatum Monasterium de dicto loco ad praedictam Parochialem Ecclesiam, ac statuendi & ordinandi, quod prefatus Praepositus dicti Monasterii, qui erit pro tempore per se vel per alium curam Parochianorum praedictae Ecclesiae gerere ac exercere valeat, ut praefertur, tenore praesentium plenam & liberam licentiam elargiamur, proviso, quod Ecclesia dicti Monasterii ad profanos usus minimè convertatur, sed per aliquem Sacerdotem idoneum ea deferriatur in divinis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessonis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare presumperit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum undecimo calendas Octobris Pontificatus nostri anno primo. Post quarum litterarum Apostolicarum receptionem volentes procedere ad earum executionem juxta traditam à Sede Apostolica formam Venerabiles in Christo Patres & Dominos Joannem Nazaretheum & Joannem Magnesium Episcopos fratres nostros Charissimos cum debita instantia rogavimus, quod consentirent nobiscum Landscronæ oppido nostro ad certum terminum, quem eis assignavimus propter translationem Monasterii S. Nicolai & S. Catharinæ situati ante ipsum oppidum Landscronense ad Ecclesiam Parochialem B. Mariæ Virginis faciendam, ut ipsorum consilio premisso, & ad illud necessario facere possemus, sicuti haberemus in commissis. Et cum praedicti Patres & Episcopi ad nos venissent, ad locum praedictum accessimus cum ipsis ipsum Monasterium S. Nicolai & S. Catharinæ fulcipientes rem oculis, ut eō melius cognoscere possemus veritatem ubi consideratis singulis ipsius loci defectibus vidimus ipsum Monasterium esse situm in loco nimis humido & aquoso, ubi nec cellaria, nec commoda fieri possunt pro necessitate & utilitate ipsius Monasterii, ac Fratrum in eo degentium, cum commoda ibi facta temporis successu per fluxum continuarum aquarum destruerentur, nec possunt tres Fratres qui ibidem manerent, diu fatis subsistere propter nimiam loci humiditatem; consideravimus etiam non esse utile, neque expedire, neque dictum Monasterium in eodem loco in suis ædificiis permanisset inviolatum, tum propter vicinitatem fundi communis oppidi, quod possit Episcopus & Ecclesia Luthomisliensis perdurare propter hostium insidias, & insultus quotidianos, qui temporibus istis, in quibus dies mali sunt, plus solito invaluerunt, tum etiam propter ipsum Monasterium, quod securius in ipso oppido res suas possit custodire, quam extra muros ejusdem, ubi patet accessus omni venienti. Quibus premissis sic diligenter consideratis, postquam Religiosus Frater Dominus Joannes ejusdem Monasterii professus Vicarius perpetuus & Plebanus ejusdem Ecclesiae S. Mariæ ibidem in oppido Landscronensi spontanea & libera ac bona voluntate sua propter bonum statum & bonum commune translationis ejusdem Monasterii de dicta Ecclesia cessisset, & resignasset, eam in manibus nostris, renuntiassetque omni juri, quod sibi competit in eadem, prout in signum cessionis, resignationis & renuntiationis litteras suæ confirmationis, quas suffert eadem, habuit, in praesentia multorum fide dignorum ac Notariorum publicorum exhibuit, tradidit, & assignavit authoritate Apostolica nobis in hac parte commissa de consilio dictorum Patrum & Dominorum Joannis Nazarathæ, & Joannis Magnesii Episcoporum ipsum Monasterium S. Nicolai & S. Catharinæ cum singulis suis juribus, fundatione usque in presentem diem fuit institutum & servatum de ipso loco, in quo prius fuit, ad ipsam Ecclesiam Parochialem

chalem B. Mariæ Virginis, quæ sita est in oppido Landscronensi prædicto, in Dei nomine transtulimus & transferimus in his scriptis nostris ordinantes, quod ipsa Ecclesia Parochialis B. Mariæ Virginis Monasterium Canonicorum Regularium censeatur & nominetur perpetuò apud omnes, & quod Præpositus & Fratres ejusdem Monasterii, qui pro tempore fuerint, sicut qui in præsentiarum sunt, in ipsum Monasterium sub habitu & Regula Canonicorum Regularium Ordinis B. Augustini communiter vivant, devotè Deo serviant, sicuti sunt ab initio instituti, & ut ipsa translatio per nos facta nota esset & manifesta omnibus hominibus, honorabiles & Religiosos Viros Dominos Henricum Præpositum, Joannem Priorem, & alios Fratres ad præsens ibidem conventum facientes cum decenti reverentia & honore in Ecclesiam S. Nicolai & S. Catharinæ, ubi prius fuit Monasterium, & Præpositus & Fratres ejusdem suis privilegiis & libertatibus in novo gaudeant Monasterio, sicuti usi sunt, & habuerunt præteritis temporibus in antiquo. Insuper statuimus & ordinamus authoritate Apostolica & licentia speciali ad hoc concessa prout superius expressatur, quod Præpositus ejusdem Monasterii Fratrem, seu etiam ( si necessitas ingruerit ) per quemlibet Sæcularem Presbyterum curam animarum Parochianorum ejusdem Ecclesiæ gerere valeat & exercere, & ne ipsa Ecclesia S. Nicolai & S. Catharinæ Hospitale existat, eò quod in ipso infirmi teneantur & serventur, ac quod Præpositus & Fratres ejusdem novi Monasterii, qui pro tempore fuerint, duas sexagenas grossarum Pragensium pro sustentatione eorundem infirmorum ipsi Hospitali singulis annis tradant in perpetuum, & assignent, & etiam quod ipsi vel per se vel per alios Presbyteros singulis septimanis in eodem Hospitali perpetuis futurs temporibus celebrent, vel celebrari faciant. In quorum omnium & singulorum testimonium sigillum nostrum cum sigillo Patrum & Dominorum Joannis Nazarathæ, & Joannis Magnesii Episcoporum supradictorum de nostra certa scientia præsentibus sunt appensa. Datum & actum in Landsrona anno Domini, quo hæc translatio facta fuit millesimo trecentesimo nonagesimo tertio in die Sanctæ & Individuæ Trinitatis præsentibus honorabilibus & discretis Viris Vito Luthomisensi Curiæ Episcopalis Officiali & Canonicæ S. Egydii in Praga, Vito in Caspare Plebano, & Wenceslao Kardeizock dicto Notariis publicis, Wenceslao Presbytero Domikevo Plebano Luthomisensi Diœcesis, præsentibus etiam famosis & honestis Viris, quodam Milite juxta Patris sui nomine Temizicz nuncupato Wolfardo nostræ Curiæ Mareschallo & quam plurimis fide dignis Personis utriusque sexus ipsam translationem devotè considerantibus & præsertim Incolis Civitatis Landsronensis crebrius nominatae in testimonium præmissorum.

Et ego Joannes quandam Nicolaus de Lichtenfæt Clericus Pragensis Diœcesis publicus authoritate Imperiali Notarius, quia supradictæ translationi Monasterii, Ordinationi, Exactioni ac rei superius gestæ dispositioni, omnibuscque aliis & singulis superius expressis, dum sic agerentur, & fierent unæ cum prænominatis testibus præfens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, arduis præpeditus negotiis scribere non valui, sed paulatim scribi fieri procuravi, & his me subscripti signoque & nomine meo solitis signavi requiritus & rogatus in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

Hic ergo loci, seu in saepedicta Landsronensi Civitate Religiosi Canonici subsistentes de posthac personaliter resederunt, seu commorati sunt, haud tamen diu Religiosæ mansionis seu Monasterii sui possessione perfuerunt, eò quod nimis sub decursum sæculi proximè sequentis videlicet circa annum 1440. à furentibus Thaboritis seu Huslitis partim violenter in exilium acti, partim immanissimè fuerint trucidati; reliqui vero præsidio fugæ hinc inde dispersi ( nefando schismate simul & bello intestino interea temporis in terris istis assidue nutrito ) solo pane tribulationis sustentati, per provinciam oberarârint, in possessionibus suis nunquam non inquietati, seu turbati, quoisque demum anno Sæculari suprà millesimum quingentesimum Olomucium in Moravia deportati stabilem inibi Sedem fixerunt, de quo pluribus infrà in descriptione Monasterii Olomuciensis. Sed priusquam omnino Landsrona discedamus, consultum hic videtur recensere Præpositos, qui Canonæ huic à primâ fundatione usque ad subsecutam abominationem memoratae desolationis præfuerunt, & sunt sequentes.

I. Henricus.

II. Joannes I.

III. Joannes II.

IV. Laurentius, idem etiam Præpositus Fulnecensis in Moravia.

V. Nicolaus.

VI. Andreas quandoque in actis publicis nominatus anno 1445. & 1460.

VII. Joannes III. metu persecutionis Hussiticæ in Poloniā deportatus ibidem mortuus & sepultus anno & die non notato.

VIII. Wenceslaus.

IX. Mathæus in tabulis nominatus anno 1479. & 1493.

X. Joannes IV. cognominatus Stiwacka de Hodentz; cuius temporibus Landscrenensis Canonia hæc tumultuante hæresi nimis in totum defecit; eadem hæc paulò post restituta Olomucii in Moravia de posthac *Omnium Sanctorum appellanda*, cuius proin Præpositus inibi designatus est, qui & hic Landscrenæ ultimus præfudit Joannes iste Stiwacka, de quo fortè pluribus infra.

### LANGENZENENSE,

Jam pridem antiquatum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Monasterium sub Diœcesano limite Herbipolensi comprehensum; id tamen quo ad tempus & nomen fundatoris, maligna hæresi nimis quantum obstrepente, haud amplius per Nos inquirendum, Superiori ætate plurimum effloruit in cognomine Franconiae oppido Langenzennensi; qui idem locus, quamvis de præsenti ad Principem seu Marchionem Brandenburgicum de linea Onolzbacensi adspectet, Monasterium tamen istud jam à decursu Sæculi decimi sexti Personis Religiosis, & ritibus omnibus penitus evacuatum cum quevis attinentiis, ut putè juribus, censibus, proventibus, ac fructibus in usum proprium solus & unicus obtinet alter Princeps itidem Brandenburgicus de stirpe Culmbacensi seu Bareuthensi surculus etiam pacificatione Westphalica in id confirmatus.

### LANTENENSIS,

Ita nomine suo dictus Regularis quidam Prioratus in Comitatu seu Superiore (uti vocatur) Burgundia, quæ certa Germaniæ nostræ pars est, vel olim inclitus, idem à Pennotto nostro in histor. tripart. I. 2. cap. 33. num. 10. taliter habetur annotatus: *Sunt in Bisuntina Diœcesi quatuor Prioratus Conventuales ejusdem (Canonico-Augustiniani) Ordinis, qui suos habent Piores Canonicos Regulares, Primus Lantenensis &c.*

### LAVANTUM,


Seu in Valle Lavantina Archi-Ducatus Carinthiæ vetustissima civitas etiam à Plinio Ptolomæo, Suida & Paulo Diacono memorata, ut & in antiquissimo Codice quodam M. S. inter Præfecturas Romanas recensita, eaque primum Authore Flaviano Fabiano (quem Claudius Tiberius Cæsar anno Christi viceximo septimo tertium ejusdem Ducatus Carantani Præfectum instituit) de novo condita, atque ab illo ipso Flaviana dicta, subinde verò dum Idololatria seu Paganismus inter Populares terræ hujus Inquilinos sensim defecit, & econtrà doctrinam Christianam suscepit, ab ea, quam primam & sancto Andreæ digno Dei Apostolo, Germano Petri & in passione Socio saceratam habuit, Ecclesia nomen accepit, in qua demum Collegium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini fuit institutum primâ horum coloniâ ex Metropolitanâ Salisburgensi (quæ & ipsa tum adhuc Regularis & Augustiniana fuit) isthuc desumpta, cui primum præfuit cum titulo & prærogativâ Decani Sifridus quidam Regularis Canonicus itidem ex antedicto Choro Salisburgensi datus, de qua Canonica institutione clarè servatâ usque modò superat sequens scriptura: *Anno post Incarnationem Domini nostri Jesu Christi Millefimo ducentesimo duodecimo die 20. Mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Domini Innocentii divinæ providentia Papæ III. Regnante Ottone Romanorum Imperatore hujus nominis Quarto fundatum fuit Collegium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in valle Lavantina, & in famosa civitate S. Andreæ consecratum ad honorem Omnipotentis Dei Beatae Marie Virginis Genitricis Dei, nec non ad honorem SS. Apostolorum & singulariter S. Andreæ Apostoli, & SS. Viti, Modestii, & Crescentie MM. ab Illustrissimo Principe ac Domino Domino felicis recordationis Everardo hujus nominis de Truxen appellato S. R. I. Principe & Archi-Episcopo Salisburgensi. &c.* Verum quod res est, priusquam in Lavantina historia ista ultrò pergamus, pro singulari Lavantinæ istius ad S. Andream Ecclesiæ vetustatis decorere regerere isthinc juvat, quæ plures pagos, Villas, imò etiam castra & oppida (quorum tamen ætate nostra non solum nescitur existentia, sed etiam jam pridem omnis exolevit memoria) proprio suo Lavantinæ Ecclesiæ ad S. Andream Plebaro persolvisse Decimas, & quævis alia jura Parochialia quoconque demum titulo præstanta, imò vetustissima quædam Divo Paulo consecrata ruralis Ecclesia in sublimi & amplissimo (qui hodie sustinet Compro-



REVERENDISSIMO NO CATHEDRALIS ECCLESIAE  
 AD S. ANDREAM ITINTI PRÆPOSITO ET ARCHIDIA-  
 CONO NATO SS. THELI DEPUTATO &c. ADM. RR. RELIGI-  
 OSISS. PRÆNOB. AC CLARIBUS &c. D. D. D.  
Lod. Fransc. Sc. 1687.



REVERENDISSIMO PRÆSULI PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO DOMINO DOMINO MARTINO CATHEDRALIS ECCLESIA  
AD S. ANDRÆM IN VALLE LAVANTINA CANONICORUM REGULARIUM ORD. S. AUGUSTINI PRÆPOSITO ET ARCHIDIA-  
CONATO SS. THEOLOGIÆ DOCTORI INCILYTI ARCHIDUCATUS CARINTHIAE MAIORIS CONSILII DEPUTATO & ADM. RR. RELIGI-  
OSISS. PRÆNOB. AC CLARISS. DD. WILHELMO PIENIL DECANO CATERISQ. CANONICIS CAPITULARIBUS &c. D. D. D.  
Ind. P. 1666. f. 167.



**GEMINA**

I. Prince de  
les Ducs de  
Lorraine

II. Franois d'  
II. Henri, son  
II. Franois II,  
duc de Lorraine

V. Georges, son

VII. Marguerite,  
VII. Anne, son

VIII. Philippe II,  
duc de Lorraine

IX. Jeanne, sa

X. Charles, son

XI. Anne, son

XII. Philippe III,  
duc de Lorraine

XIII. Thomas de  
Lorraine

XIV. Jeanne de  
Lorraine

XV. Catherine de  
Lorraine

XVI. Blanche de  
Lorraine

XVII. Renate de  
Lorraine

provinciale celeberrimum illud Benedictinæ familiæ Monasterium communiter S. Pauli nuncupatum) colle contuenda ab antiquo Lavantinam Ecclesiam seu Matricem suam suspexit usque ad annum 1212. & fortè adhuc amplius, neutquam obstante, quod memorata Ruralis S. Pauli Capella seu Ecclesia intra territorium Abbatiae S. Pauli steterit inædificata, quæ tamen eadem ipsa vertentibus annis commutationis titulo concessa fuit eidem S. Paulo Benedictino, qui vicissim dedit Parochiam & Pagum quendam suo nomine *Royckinensem* appellatum.

Anno 1228. ad majorem & ampliorem Orthodoxæ Religionis dilatationem ac propagationem ab Everardo Archi-Episcopo Fundatore supradicto de prævio consensu Sedis Apostolicæ seu Honorii Papæ III. novus etiam (de quo pluribus agitur in Germania nostra Ecclesiastica) in Ecclesia Lavantina fundatus & institutus fuit Episcopatus; cujus tamen Episcopus cum Præposito & Capitulo S. Andreæ necquicquam commune habet, sed idem ipse Cathedralis ad S. Andream Ecclesiæ plenario jure solus & unicus hic præstat; cujus post mortem semper à Canonicis Capitularibus ex antiquo more jam à longævo integri unius sæculi decursu constanter usurpato per speciales quasdam certi & antiqui tenoris litteras eligitur, seu potius in novum Præpositum Lavantinum postulatur Decanus Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis pro tempore existens; qui vicissim pro delato taliter sibi honore pariter in scriptis humanissimas gratias exsolvens una simul denuò resignat, & alium per Vota Capitularium Lavantinorum diligendum dictat, & sic nupera ætate nostra, dum post mortem Reverendissimi Perillustris ac Amplissimi Dom. D. Martini Venerabilis memorie Cathedralis Ecclesiæ Lavantinæ Præfulis anno 1688 die 10. Maji è gremio Metropolitani Chori Salisburgensis antiquo more postulatus fuit Reverendissimus ac Perillustris D. D. Wilhelmus L. Baro à Fürstenberg pro tempore Decanus, quo pariter onus & munus Cathedralis Præposituræ Lavantinæ pertinaciter detrectante communi suffragantium calculo successit anno 1688. die 10. Maji electus Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus D. Adamus Sigefridus Suggart natione Carentanus, patria Clagenfurtensis SS. Theologiae Doctor &c. &c. inferiorius in Catalogo Præpositorum denuò recensendus, quem proinde Ordine nobis communicato subjicimus.

### Nomina D.D. Præpositorum & Archi-Diaconorum Cathedralis Ecclesiæ Lavantinæ.

I. Fridericus Scalle à piissimo Fundatore ad Præposituram electus, ab eodemque Archi-Diaconi titulo donatus. Præfuit annis 38. vita & regimine suo defunctus anno 1251.

II. Frowinus electus anno 1251. terris demortuus anno 1268.

III. Henricus, post annos 28. decepsit anno 1292.

IV. Fridericus ex nobilissima familia de Truxen, regime solum quinquenni exacto, naturali morte peremptus anno 1297.

V. Udalricus annis 19. Præposituræ dignitate clarus, diem suum obiit anno 1316.

VI. Meinhardus, novennis Antistes factus, talis esse simul & vivere desit 1325.

VII. Petrus, annis 15. regimen tenuit. Obiit anno 1337.

VIII. Pilgrinus I. præfuit annis 24. & morte naturali decepsit anno 1365.

IX. Stephanus, explevit annos regiminis quatuor. Obiit anno 1369.

X. Pilgrinus II. præfuit annis 38. definens tandem urgentibus fatis 1403.

XI. Nicolaus, post biennie regimen immortalitati redditus 1405.

XII. Eustachius sexennio clavum tenuit, & ad plures abiit anno 1411.

XIII. Joannes Straßer, annis 46. gubernacula gessit, emortuus tandem 1457.

XIV. Jacobus, annos uno & viginti præsttit, exaninatus 1478.

XV. Erhardus, post septenne regimen immortalitatem assemptus 1485.

XVI. Andreas Stachel, post annos 15. spontanea resignatione dimissus 1500.

XVII. Egidius Harinus, electus anno 1500. morte decepsit 1518.

XVIII. Thomas exacto decenniō terris defunctus est anno 1524.

XIX. Wolfgangus Franck, iter æternitatis ingressus anno 1543.

XX. Tiburtius Stachel, præsedidit annis 15. mortuus anno 1558.

XXI. Paulus Scheibensteiner, post duodenne regimen exauthoratus.

XXII. Constantinus Hofheimer, quinquenniō præfuit, & vivere desit 1575.

XXIII. Valentinus, morte naturali sublatus anno 1586.

XXIV. Blasius Sorger, quadriennis Præpositus, obiit anno 1590.

XXV. Dominicus Leo post annos 28. carne solitus 1619.

## 22 GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

XXVI. Joannes Gambazius annis 42. munere Præposituræ clarus, obiit 1662.

XXVII. Augustinus Meir, in fata concessit anno 1669.

XXVIII. Martinus Sang, SS. Theologiæ Doctor, Canonicæ Religionis promotor egregius, communis patriæ Pater, in publicis Provinciæ negotiis indies pertractandis ad solum commune bonum semper intentus, tam obesse nescius, quām prodeesse cupidus, expleto sui regiminis anno vicefimo primo, Christi verò 1689. æternitati, ut speramus, felici transcriptus est, cui demum succedit.

XXIX. Adamus Sigefridus Suggart, SS. Theologiæ Doctor, jam supra nominatus, in Lavantinum Antistitem dignissimè electus anno 1689. ea modò præsidet dexteritate, quæ commendat Prælatum inter magnos maximum, inter industrios laboriosissimum ac peritissimum, cuius nimia industria, raræque in rebus Ordinem nostrum Canonic-Apostolicum continentibus peritiam monumenta profecto posteritati transcripsit insignia videlicet *Canonicam Magni Præfulis Augustini Regulam*, eruditio prorsus *Commentario typis Clagenfurti anno 1703. vulgato illustratam, & Splendores Ordinis Canonic-Apostolici*, cuius gloriosam antiquitatem, gravissimis duodecim summorum Pontificum testimoniis contra adversantes modernorum æmulantium manus, doctè æquè ac solidè stabilivit, nec non admirandam summorum Ecclesiæ Præfulum sub eodem *Instituto Apostolico-Canonicō seriem per aliquot secula deducitam ordinatissimè contexuit*, æterna proin dignus in Canonic Ordine memoria. Præter recensita Opera edidit Clagenfurti anno 1698. *Scientiam hominis Religiosi. Solium Archi-Ducatus Carinthiæ. ibidem anno 1701. Examen Ordinandorum fusus explicatum. Conclaves Mariales Lingua Germanica. Duodena Reflexionum spiritualium Hominis de homine ad implantandam cordi veram humilitatem excogitata. Augustæ Vindelicorum anno 1735. Opus Posthumum, de quo Editor in Præfatione hæc habet: „Quām eximios hæc „Duodena fructus conferat, vel ipsus Reverendissimus Author sit tibi amplissimum Exem- „plum, qui humilitate permotus, quamdiu in vita superstes erat, Thesaurum hunc nos „ad eo celaverat, ut etiam ab obitu illius non nisi facta iterata instantia comparari de- „buerit. Præter admirandam hujus Præfulis meritissimi in superos pietatem ac Litteratu- ram eximiam minimè prætereundum silentio, quod in Curia Statuum Provinciæ Carin- thiacæ magnis negotiis præfectus, aliquot vicibus in arduis negotiis prætractandis ad Aulam Cæfaream præfatorum Statuum Commissarius ablegatus fuerit, rem semper dex- terrimè & ad vota Provinciæ egerit. Humana deseruit, & ad Cœlestia transivit anno 1722. cui in regimine succedit Præpositus numero*

XXX. Georgius à Thalheim, qui usque ad annum 1724. præfuit. Cujus demum Successor fuit

XXXI. Franciscus Antonius de Suggart, qui adhuc hodie septuaginta duorum annorum Senex meritis quam annis gravior præfuit, variisque morbis ac Infirmitatibus vexatus, cœlestem anhelat Patriam, quam ut restaurata valetudine post ferros annos consequatur & adhuc diu feliciter præficit, ex animo precamur.

### S. LAURENTII

**C**um addito in Hissa cognominatum Provinciæ Trevirensis in Diœcesi Metensi, propè Sarburgum Oppidum, in Ducatu Lotharingiæ Monasterium, istud tamen de tempore & Authore primæ fundationis suæ Nobis nondum revelatum, primùm pro Canonicis Regularibus Augustinianis fuit apparatum, subinde verò posterò ætate aliquando quidem ab Heterodoxis violenter occupatum, sed tamen anno 1629. (uti testificatur Pennotus in historia tripart. lib. 2. cap. 64. inde denuò redemptum. Sed ecce! Regularis Canonia hæc (quo titulo, vel jure? latet) devenit ad Religiosos Ascetas, qui locum hodie constanter incolunt, Præmonstratenses.

### LAURISHEIMENSE,

**A**lias etiam *Laureacense*, dictum olim in Rhingovia (quæ est pars Franconia per Diœcesin Moguntinensem diffusa) magnificentissimum simul & primæva Origine sua vetustissimum, fuit quidem olim Professionis Monastico-Benedictinæ Cœnobium; inde tamen vertentibus annis (quocunque jure vel titulo) ad Canonicos Regulares devolutum; qualiter de hoc apertè satis constat ex Metropoli Salisburgensi tom. 2. fol. 281. ubi de diversis diversorum Monasteriorum quoad Religiosum Statum immutationibus agitur, & inter alia sic habetur *Laureacense* (Monasterium) primam Benedictinorum, dein de Augustinianorum.

LAUT

## LAUTTENBACHENSE,

**S**eu communiter *Luttenbacense* nuncupatum, in Superiori Alsatia quatuor leucis à Colmaria oppido Imperiali jucundissimè distans, idemque Regali fundatione sua vetustissimum Canonicorum Collegium est, quod primum Institutorem habere meruit Clodovæum Francorum Regem circa annum gratiæ quingentesimum. Inter antiquos hujus loci Canonicos sub annum circiter 1070. magnâ vitæ sanctitate perinlytus apparuit primus nominatissimæ quondam Congregationis illius, quæ postmodum *Marbacensis* inaudit, primarius Author & Institutior *Manegoldus de Luttenbach* communiter appellatus; idem paulò post infrà in descriptione Monasterii Marbacensis amplius adducendus. Celeberrimum autem Luttenbacense Collegium quamvis sub Religiosissimo Magistro suo *Manegoldo* antedicto strictissimè reformatum omnino novum hominem induit, qui secundum Deum creatus est in justitia & admiranda vitæ Religiosæ disciplina, de posthac tamen & quidem jam à longis retrò temporibus rursum immutatum fuit in Sæculare Canonicorum Collegium, quod hodie sub Ecclesiastica jurisdictione Ordinarii detentum habet Præpositum, Decanum, Custodem, & alios Officiales, de cætero censibus ac reditibus sat opimis largiter instructum.

## LENS,

**I**ta simpliciter suo nomine dictum in Diœcesi Leodiensi sacrarum Virginum sub Canonica S. P. Augustini Regula militantium Venerabile contubernium; cuius tamen modica solum superat notitia ex solo & unico Joanne Hoybergio Congregationis Windesimensis Canonicæ, & Corsendoncano in Geldria Priore vicesimo nono, qui in notacionibus suis ad historiam Corsendoncanam expedito occasione Parthenonis hujus suo nomine *Lens*, ut audivimus, appellatur, vel pauca solum declaravit sequentia: *Hujus* (Vallis S. Barbaræ, seu Thenensis appellati) Collegii initio occasionem dedisse legitur quidam *Henricus de Horn* Prior Canonistarum Regularium in Lens juxta Hogum, qui cum Suppriorissa & Conventu suo anno 1388. Thenas se translulerunt, ibique Monasterium sub titulo S. Barbaræ exercerent. Postea verò *Henrico* prescripto Episcopali autoritate ab Officio Prioratus absoluto, Supriorissa fit Priorissa seu Prælata Monasterii. Cum autem hec eadem Priorissa Teutonicum idoma, ut ajebat perdiscere non posset, anno 1403. officio se abdicat, locum de licentia Episcopi deseruit, atque cum sex aliis ad antiquum Monasterium in Lens redivit. &c.

## LENERENSE,

**T**aliter ab antiquo nomine suo dictum, jam pridem tamen antiquatum, Diœcesis Mindensis in Westphalia, de Ordine Canonicæ-Augustiniano Venerabile quondam Parthenæum, atque istud jam à prima fundatione sua fuit consecratum; Verum de primævo ortu suo hodiè nobis unicè notum ex Chronicæ Mindensi Pistorianæ Editionis fol. 727. sic legendo: *circa tempora istius* (Sigewardi inter summos Pontifices Mindenses vicesimi tertii sub annum 1140. die 19. Maji terris demortui) *Episcopi* quidam *Sacerdos* divitiis abundans Monasterium Leneren fundavit, fuit enim Leneren prius Ecclesia Parochialis, & prædictus Sacerdos fuit ibi Plebanus; adiit ergò Dominum Apostolicum, & impetravit, ut inibi posset Monasterium Monialium erigere, quo annuente prædictus Presbyter sic Monasterium prædictum fundavit, & post hæc factus est ibi Præpositus.

## LEODIENSIS

**E**cclæsia Metropolitana (Cathedralis solum est, jure ac titulo Suffraganeatus Metropolitanæ Colonensi subdita) à prima institutione sua habuit Clericos regulariter viventes. Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 3. Ejus fundationem nonnulli in B. Humbertum referunt, qui non solum Metropolitanæ S. Lamberti, sed ipsius etiam Civitatis Author fuit. Miræus de Colleg. Sæcul. cap. 21. cum eo anno corpus S. Lamberti cum Sede Episcopali ex Trajecto transtulisset, Notgerus verò ejusdem Civitatis Episcopus, prout legitur in tabula quadam existente in Ecclesia Divi Joannis Evangelistæ Leodiense Monasterium B. Lamberti in melius, quam ante fuerat, immutavit. Ecclesia enim, quam B. Humbertus ædificavit, ad lapsum declinaverat; hac diruta templum sexaginta Canonicorum juxta magnificentiam dilatati cordis sui exaltavit, claustris ditionibus decoravit, Claustrum & Domorum ædificia renovavit: illud porrò memorie Posterorum commendandum; quod cap. 21. de Colleg. Sæcul. notat Molanus; Cum Innocentius Papa II. Leodium cum B. Bernardo Claravallenæ Abbatे ivisset, resedisse in eâ S. Lamberti Basilicâ Regum Filios novem, Ducum quatuordecim, Comitum triginta, inferio-

## 24 GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

ris Ordinis Canonicos septem, omnes numerō sexaginta, quorum nomina leguntur in tabulā ad latus aræ majoris in templo D. Lamberti suspensa. Hæc Pennottus in historia tripart. I. 2. cap. 38. n. 7. & paulò post ibidem. de Regularitate Ecclesiæ Leodiensis adest irrefragabile testimonium Wazonis ejusdem Ecclesiæ Episcopi ex Præposito assumpti in Epist. ad Fratrem Joannem dictæ Ecclesiæ Præpositum, quam refert Mauburnus in Venatorio lib. 2. cap. 7. cuius tenorem ex cit. auctore hic subjicio.

### Epistola Wazonis ad Joannem Præpositum.

**F**ratri Joanni secundūm sua merita, non suus Wazo. In veteris amicitiae memoriam cogor te, Frater adhuc compellare, quamvis apud nos nihil dignum merearis gratiæ. Haec te venustabat scientia litterarum, aliquantulum etiam efferebat in construendis negotiis rationis justitia: nunc quoniam bonâ fortunâ uteris, priora præsentibus confundere mihi videris, quidquid boni priùs habueras, adjudicamus simulationi, quia fortuna bonis superveniens solet meliores efficere. Enim verò divitias per se nullas aestimamus, nisi à possessoribus suis hac translatione præbentur. Archi Diaconatus enim cæteraque mundi vanitas suo contagio te non infecit, sed quām versipellis priùs latebas, suis operibus exposuit. Ultionem malè vivendi forsan reformidares, nisi plurimūm sæculari potentiae consideres. Cūmque multa in te punienda possum recensere; unum quod me contingit, volo, si queam refellere. Dicis te Præpositum, potenter esse constitutum, claustralia negotia domi, sine consilio Decani, Fratrūmque sicut volueris dispensaturum, cūm gladio non utaris, cur potenter, & non regulariter dicis? si tua dignitas est à Deo, cur illam non defendis scripto? In confusionem meam Prælatum & Præpositum esse dicis, obviare veritati, gratiæ deserviens minime revereris; quid est, quæso aliud veritatem scienter fraudare, quām Christum patenter denuò crucifigere? Væ qui dicunt malum bonum, & veritatem in mendacium commutant. Ergo cūm veritatem se Christus esse dicat, quisquis veritatem lædit, Christum procul dubio fauciatur. Sancti Patres zelo justitiae ferventes regulam claustralem divinitus illustrati conscripserunt, nihil superfluum addentes, vel necessarium subtrahentes, neque ad dextram, neque ad sinistram declinantes. Prælati & Præpositi tulerunt omnem controversiam, si tibi ambitionem, mihique lenieris invidiam. Dic, quæso, dic, si regula signillatim titulat Episcopum, Prælatum, Præpositum, Cantorem, Cellerarium, Portarium usque ad Pistores & Coquos, si Prælatus & Præpositus unum est, quare præmittit Decanum? irrationaliter ergo Regula videbitur esse composita, si non exequitur omnia claustralia secundūm propositum necessaria, sed quis sanum sapiens audebit hoc asseverare, cūm Spiritus S. Auctor regulæ fictum effugiat disciplinæ? Noli, Frater, noli interpretari male scripturam regulæ sufficientem. Prælati & Præpositi velis, nolis, necessariam tene distinctionem, quia si Prælati & Præpositi unum essent subjectum, potius unum quām duo scriberetur capitulum, ut sicut Præfus & Episcopi duūm nominum sit unum capitulum; sic Prælati & Præpositi fieret, si essent unum, quia ergo duas personæ intelliguntur in Prælati & Præpositi significatione, meritò duas sententias placuit regulæ Scriptoribus annexere. Præfertim nomen Decani, quod regula non ponit, minime te moveat, quod solum militaris disciplina regula S. Benedicti à decem militibus vel Monachis litteris sacris tacentibus frequentat: quoniam quidem cūm regularis diligentia 30. 60. vel his amplius Canonicos simul admittat, nomen Decani, quia super denarium res agitur, irrationaliter ponere devitat. Erit igitur Prælatus secundūm spiritualis vitæ administrationem prior in claustro, & consequenter Præpositus, propter exteriorem procurationem, Ordine 2do. spiritualia namque sæcularibus dignè preponuntur, quantum stolido corpori rationalis anima principatur. Hanc institutionem immobiliter servant occidentalia Claustra & Monachorum quotquot sunt ubi ubi Cœnobia, sed quia pluris opes religione existimas, veneraris Præpositum suppressa Decani celebri statione: quoniāmque gloriaris te Præpositum esse, præsumis Claustralria negotia fratribus inconsultis dispensare, non ut utiliores fratres ad hæc promoveantur; sed qui gratia tua solummodo participantur. Hinc religionis divinæ, pro dolor? ruina suboritur, litteralis disciplinæ studium penitus destruitur. Hanc institutionem Pater cœlestis non plantavit, Mater Ecclesia scriptis suis non animavit: necesse est ergo spirituali cultro spuria succidere vitulamina, & regularibus monitis affensem præbere per omnia: præcipit namque regula, Præpositum sub Prælato agere injuncta sibi fratribus humiliter, fideliterque cum bona conversationis exemplis administrare. Si is resultaverit, ab officio removeri, aliūmque loco ejus aptiorem constitui. Ad hæc, Frater, vide, quæso subjectionem Præpositi, vide fidelitatem, humilitatem, periculum quoque ministerii. Quod si claustralria bona præsumis fratribus inconsultis distribuere, ubi est subiectio debita, ubi fidelitas, ubi humilitas Obedientiæ, si enim Pontifex ipse, cui singulariter istud competit, non potest Eccl-

Ecclesiastica bona sine Clerici consensu disponere, quomodo subjectus minister audebis bona Fratribus communia pro tuo libitu dissipare. Jubetur Abbas cœnobialiter in consilium totam congregationem convocare, eorum cuncta consilio diffinire, tu dedignaris Confratres tuos super omnibus bonis consulere? jubetur etiam inter plures Monasterii bona dividere, ne Præpositus solus tenens omnia possit superbire; alioquin si licenter id feceris, jam non præs Canonicis sed Servis & Eleemosynariis tuis. Quis, rogo, sufficiens erit utcunque vivere, qui dignetur in eleemosynæ tuae stipendia transfire! ut quod Fratribus communiter à Christi fidelibus conferuntur dona possessionum, si tu singulariter super his tibi vendicas dominium? haec tenus eramus et si pauperes Christi, liberi tamen Matris Ecclesiæ Filii. Reliquum est, famulemur tibi Servi emptitii, desine, define insolenter agere, officiique tui modum humiliter cognosce. Vide etiam si non secundum monita regulæ incumbat proposito canonice conversationis exemplo subditos illustrare. Ergo si regulare mandatum est, Canonicos Chorum, dormitorium, Refectorium frequentare, quare non etiam te, cum non secernaris ab hac Societate? Cum sis fanus & validus, plerumque otiosus erubescis esse Religiosus, à mane usque ad vesperam non pudet te sacerularibus insudare, & semel per hebdomadam, aut mensem Choro confunderis interesse? Qui non laborat, nec manducet, scribit Apostolus: tu nihil vel parum laboras, omnia colliges solus? si otiosis & omnibus interdicitur naturalis; quid tu negligens Præpositus opibus laborantium dominaris? Ecce per Apostolum derogatur tibi vitæ communio, unde tibi tantæ dominationis abusio? si de Altari vivere debent, qui Altari deserviunt, consequenter qui non servis, nil debes accipere, qui parcè seminat, parcè & metat, & unusquisque propriam mercedem secundum suum laborem accipiat.

Porrò si Religiosissimus es, per humilitatem hanc dominationis ambitionem cavere deberes. Si Paulus plus omnibus laborans profitetur se minimum & abortivum; cur tu nihil laborans, è contrario singulare præoccupas dominum, si sententia Pauli per omnia est laudabilis, universaliter præsumptio tua fit detestabilis. Potentem te dicis esse Præpositum, bona Claustrum sine consilio Prælati & Canonicorum in domo tua pro libitu dispensaturum, quem te ipsum facis? quid habes quod non accepisti? Non te metiari adulantium lingua; quid sis, non quid voceris, diligenter examina. Si Deus Homo venit ministrare, non ministrari, cur tanto fastu quæreris dominari? Cum Deus esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, tu pulvis exiguis, contendis vocari Præpositus potens? enim verò nequaquam poteris esse ejus discipulus, nisi prius deposito superbo dominandi fastu, parvulus efficiaris. Si nullus Claustral Præpositus, nisi ex Regulari Canone debet ordinari, profectò non debes esse Præpositus, nisi Canonica Claustrum ducas vitam. Distat igitur inter Clericum & Canonicum, quod non Clerico sed Canonicō debetur Claustrum, omnis enim Canonicus Clericus, sed non convertitur. Ex Canonicō autem non ex Clerico regulariter constituitur Præpositus, & ideò necesse est, si Præpositus es, in Choro, in refectorio, in dormitorio, nisi per licentiam, sis assiduus, quapropter aut cum Præpositurā habebis Religiositatem, vel Præposituræ dignitas vertetur in villicationem. Non erit autem necesse constitui ex Canonicō Præpositum, si idem Ministerium possit æquè ministrari per Laicum. Sis ergo, consulo, Præpositus cum Religione, ut saltem velis Religiosos amare: quia nimis prophanum constat utrumque, hinc te Religiosum esse, hinc te Religiosos vexare. Quidquid in Ministerio tuo justè superfuerit, in vita tua teneas, nec tamen fratribus hoc palam facere, nec furti argueris obmittas. Sic ego in duabus villis mihi invito commissis coquorum mansorum servitium justa ratione superlucratus fratribus intumavi, & statim servitium feci quantoque me in gaudium pro fidélitate intrare sperabam, tanto tribulationibus invidiæque magis succubui. Servus evangelicus talentum duplicans à Domino collaudatus meruit donari: ego quadruplicans multis modis, impetus & circumventus addictus sum paupertati. Ergo frater omnes in communi accingimur humilitati, fidelitateque regulariter & res Claustrum sicut oportet, tractemus irreprehensibliter. Quantò majores sumus in sacerduli dignitatibus, tantò nos in omnibus humiliemus. Avaritiae, dominationisque altitudinem studiose fugiamus, quæ Religionis disciplinam naturaliter solent propulsare. Instruat nos saltem disciplina Coloniensis Claustrum, ubi Præpositus & Prælatus in Choro primi stantes officiis satagunt, nequid difficultatis proveniat seu negligentia. Disciplina Claustrum specialius adscribitur Prælato, nec tamen deest invitatus Præpositus instantे scrupulo, stipendum quotidianum cum cæteris officiis exhibet Præpositus, siquid defuerit sine inimicitiis exigit Prælatus. Cellarius annonam, vinum, pulmenta suscipiens à Præposito, Prælati Seniorumque dispensat mandato. Liber est Præpositus ab expensis, quæ dederit Cellario, Cellarius æquè ab his, quibus paruerit Prælato. Sic Concordia Prælati & Præpositi in Claustrum ædificationem coaptatur: quia non ambitiosa Charitas, quæ Dei sunt, non quæ sua, rimatur.

## 26 GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

Lugenda nobis esset acrius Claustrum nostri recens oborta discordia, nisi in sanitate corporis convalescerent etiam ægrotantia membra. Et ne tibi paternæ consolationis penitus munia subtraham, precor Archi-Diaconatus tui moderare gloriolam: quia divina bonitas pluribus de bonis ditavit, quibus rationabiliter honoreris, in Archi-Diaconatu decretis Ecclesiasticis instituto quid extolleris? Si Diaconus es, dic, unde tibi cognomen Archi? si non potes, ulterius define gloriari. Coepiscopos & Archi-Diaconos ob insolentiam removit Ecclesia: unde & his caret usque in præsens Metropolis Colonia & tota Provincia. Canon vetat Diaconum ante Presbyterum injustum edere, tu Presbyteros præsumis judicare aut etiam verberare.

Tantam habes auctoritatem in judicando, ut nulla scriptura, nulla possit resistere ratio? Quoniam quidem voluntas tua necessario nobis est lex & regula, quæ per Deum dirigas eum semper cum justitia, cum me in nullo exceptis peccatis meis, quæ nimia sunt, possis legitime redarguere, quare in augmentum malevolentiae tuæ me sole iracundum vocare? si ira Viri justitiam Dei non operatur, vel meas injusticias dic, aut veritas tua cassatur; sed quia negotia mea lege delecta tuis pravis consiliis ne confundar, nolo communicare, imputas mihi hoc agere iracundiæ obstinatione, sed malo à te dici, nec esse iracundus, quâm tuorum Conciliorum semper alumnus. Ista, Frater, in pristinæ familiaritatis recordatione liberali studio tibi delegamus & ne quodd dictum sit in gratiæ detrimentum, quia sic ratio poscebat, optamus. Haec tenus Wazonis Epistola. Alii prætereat non pauci hujus Metropolitanæ Canonici durante Regulari observantia litteris posteritati transcriptis floruerunt, quorum nomina una cum præclaris Eorundem Operibus Ordine Alphabetico conspicienda hic exhibemus.

*Adelmannus Grammaticus* (qui Sigeberto est Almannus) hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Regularis, Fulperi Carnotensis Antistitis quondam Auditor. In Brixensem Episcopum in Italia postmodum assumptus, Vir in divinis litteris studiosus & eruditus, Philosophus, & Dialecticus suo tempore famosus, metrò excellens & prosa. Floruit anno 1040. Scripsit utroque Stylo quædam commendanda opuscula, inter quæ ad Berengarium Turonensem olim apud Fulbertum Condicipulum suum, tunc errare & pravè sentire incipientem valde prolixè & amicè eum corripiens

De Corpore & Sanguine Domini Lib. I. qui liber editus & census fuit cum aliis similiis argumenti libellis à Joanne Ulmerio Can. Reg. Lovanii anno 1561. & habetur in Bibliotheca SS. Patrum Parisiis anno 1644. edita, tom. 3. columna 167.

Possit hinc etiam inseri Vita S. Aberti hujus Ecclesiæ Episcopi & Mart. quæ habetur in Purpura docta lib. 1. fol. 113.

*Anselmus Leodiensis Belga*, in eadem Cathedrali S. Lamberti Bafilica Canonicus Regularis clarebat anno 1050. scripsit ad Annonem Archi-Episcopum Colonensem

Gesta Episcoporum Leodiensium à temporibus Theodardi Episcopi, qui S. Remaclo immediatè successit usque ad sua tempora, hoc est usque ad Wazonis Episcopi obitum, qui in annum 1048. incidit. Anselmi historiæ cum aliis ejusdem argumenti Authoribus edita est Leodii anno 1612. studiò Joannis Chapeavilli Vicarii Generalis Leodicensis.

Ex Auberto Miræo in notis ad Sigebertum Gemblacensem de Script. Ecclesiast. cap. 163.

*Eckerbus*, Quem Sigebertus Gemblacensis Egbertum vocat, hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Clericus seu Canonicus Regularis natione Teutonicus. Vir in Divinis Scripturis, ut ait Abbas Sponhaimensis eleganter doctus, & in sæcularium litterarum disciplinis ad perfectum instructus. Claruit temporibus Henrici Imperatoris III. anno Domini 1060. Scripsit ligata & soluta oratione non nulla opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam transmisit. Ex quibus extat volumen metro eleganti compositum, quod prænotavit

De Ænigmatibus Rusticanis Lib. 1.

De eadem re alias major. Lib. 1.

Ad hæc teste Auberto Miræo in Scholis ad Sigebertum Gemblacensem de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 146. Scripsit Vitam S. Amoris Aquitani Confessoris, Belisiæ pro-

pè

## GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA. 27

pè Tungrorum urbem, in Diœcesi Leodiensi quiescentis. Extat ea MS. in Monasterio S. Laurentii ad muros Leodienses & alibi

Franco Natione Belga Canonicus Regularis ac Scholasticus hujus Cathedralis Ecclesie, qui Trithemio de Script. Eccles. fuit Vir in divinis Scripturis egregie doctus, & in Secularium litterarum disciplina eruditissimus, Philosophus, Astronomus, & Computista (verba sunt Trithemii) insignis, & non minus Religione quam scientia venerandus. De quo Sigebertus in Catalogo sic inquit: *Anatores scientie secularis taxent ejus scientiam ex libro, quem scripsit ad Hermannum Coloniae Archi-Episcopum de quadratura Circuli, de qua Aristoteles sic ait: Quadratura Circuli, si est scibile, scientia quidem nondum est, illud vero scibile. Conferant vel etiam præferant eum Seculares Philosophos: nos eum laudamus, quia divina scriptura invigilavit &c.* ita ille vivebat anno 1060. scripsit itaque

De Jejuniis quatuor temporum. MS. Leodii ad S. Laurentium

De Laudibus B. Virginis. MS. in Monasterio Canonicorum Regularium Septem Fontium apud Bruxellam.

De Quadratura Circuli lib. 1.

De Computo Ecclesiastico. lib. 1. & alia.

Godescalcus Hujus Ecclesiae Canonicus Regularis ac Diaconus scripsit tempore Caroli Magni jussu Agolfridi Episcopi sui electi anno 761. Vitam S. Lamberti Episcopi Leodiensis ac Martyris, quæ extat apud Chapeavillum Tom. 1. de gestis Pontificum Leodiensium.

Ex Auberto Miræo in Auctario ad Scriptores Ecclesiasticos cap. 220.

Præpositinus, seu ut alii Præpositivus huiatis Ecclesiae Regularis Canonicus ac Presbyter, Vir longe doctissimus, scripsit

Compendium Theologiæ & Summam Sententiarum cum multis aliis.

Stephanus Leodiensis ex Comitibus Sabinensibus oriundus, Can. Regularis primum Cathedralis Ecclesiae Metensis, tum Episcopus Leodiensis Vir doctrina moribus ac sanctitate vitae praestans, princeps Philosophorum suæ ætatis, magnisque in pretio à Carolo Calvo habitus, à quo quæ voluit, facilè impetravit, obiit anno 920. 14. calend. Junii cum præfuisse annos 17. Corpus terre mandatum fuit in Ecclesia majori S. Lamberti Leodiensis. Scripsit ad Hermannum Colonensem Archi-Episcopum

Vitam S. Lamberti Ep. & M. quam ex MS. codice anno 1612. Joannes Chapeavillus Tom. 1. rerum Leodiensium publicavit. Ad hæc teste Sigeberto Gemblacensi de Script. Eccles. composuit Cantum Nocturnum de eodem Martyre.

Canticum de SS. Trinitate.

Cantum de inventione S. Stephani Proto-Martyris.

Scripsit quoque ad Robertum Episcopum Metensem Librum Capitularem, in quo Capitula, Responsoria, Versus, Collectas per singulas noctis & diei Horas per integrum annum distinctè congesit.

### LEODIENSE

Aliud ibidem loci seu primo solum lapide à Leodio (uti habet Miræus de Collegiis Regul. cap. 55. fol. 150.) situatum Canonicorum Augustinianorum Cenobium communiter Abbatia S. Egydii intitulatum, cuius originem & fundationem Anonymus Author Magni Chronici Belgici fol. 153. fideliter exhibit in hæc verba legendam: *In Ecclesia etiam S. Egydii in monte publico Canonicos Regulares instituit* (Albero Leodiensis Episcopus hujus nominis primus, ordine vero vicesimus octavus, idem etiam Godefridi Duci Lovaniensis uterinus frater electus anno 1231.) *& eis multa bona tribuit, quæ Ecclesia incepta fuit tempore Notgeri 27.* Leodiensis Episcopi per Gundrannum Foculatorem & Mimum, qui relictis vanitatibus Saeculi elegit in illo nemore vitam eremiticam, & quia transitus periculosis erat; id est ibi hospitalitatem exercebat. Habet vero ursum, qui attrabebat lapides pro Ecclesiæ aedificio, Leodienses mirantes cum ursa lapides trabi, quidam ex ipsis Saeculum relinquentes cum eis ibi regulariter vixerunt. Primus eorum Prior quondam Decanus S. Petri Leodiensis, post primus Abbas fuit Asfo, qui ibidem sunt sepulti, ad quam Ecclesiam singulis annis veniunt Mimi Episcopatus Leodiensis processionaliter cum candelis & oblationibus feria quarta post Nativitatem S. Joannis Baptiste ob reverentiam Gundranni, quem ad Saeculum reducere voluerunt, qui obiit quarto calendas Aprilis.

## 28 GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA.

*fratres autem ejus cum Cruce obviant usque ad porticum Ecclesiae. Et paulò post: Obiit Albero  
(fundator antedictus) in Circumcisione Christi, sepultus in Ecclesia S. Aegydi publici montis.*

### LEODIENSE

**S.** Leonardi intitulatum, seu Sanctissimo Lemovicensium Abbati & Confessori dicatum tempore & authore non notato cœpit in Suburbio Leodiensi fundatum Venerabilis Congregationis Windesheimensis Monasterium, cuius perantiqua structura aliquando penitus dejecta ejusdem Congregationis Prior Generalis Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Augustinus Closset adhuc in diebus suis isthic loci seu ad S. Leonardum adhuc officio Procurator nuper novam anno 1688. fabricam molitus pro religiosa industria sua totam eandem Claustralem structuram adeò feliciter ad finem perduxit, quod & idem ipsum Leonardinum Monasterium ipse jam officio Prior amplius ad mortem usque laudissimo regimine simul ac gloriose meritis suis gubernavit.

### LEODIENSE,

Percelebre quondam Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini Divæ Virgini Mariæ simul & S. Gabrieli Archangelo dicatum, istud tamen (prout nobis videtur) forte jam pridem antiquatum, & omnino disparuit, de quo grata nobis saltem superat memoria in Magno rerum Belgicarum Chronico ab Authore Anonymo folio 110. sic annotata: *Isto eodem tempore (sub annum circiter Sæcularem seu Millesimum) Albertus Canonicus Tornacensis, qui de Colonia Agrippina originem duxit in Parochia (apud Leodienses) Rodensi Ecclesiam in honorem perpetuae Virginis Mariæ & ejus Paranympbi Gabrielis ædificavit, & ibidem fratres sub Regula S. Augustini, sicut per revelationem acceperat, congregavit, & relista Præbenda in eadem Ecclesia sub duobus Præpositis devotè militavit, quibus in pace defunctis Abbatem primum præfecerunt Virum Religiosum nomine Joannem de consensu Domini Oberti Episcopi Leodiensis. In hoc loco Monasticæ disciplinæ vigor per multos effloruit annos, sed beu! jam nostris temporibus non hostium incursu forinsecus, sed tinea attenuatus intrinseca, desolationi proximus est.*

### LEODIENSE,

**M**onasterium S. Petri fundavit Beatus (cujus succinctam vite historiam exhibet etiam sapecitatus Anonymus in Chronico Magno rerum Belgicarum fol. 29.) Hubertus, anno 714. & opulenter dotavit, quod à Nordmannis vastatum instauravit Richardus Leodiensis Episcopus anno 915. Ita quidem Pennotus antedictus, contra ac Anonymus jam sapecitatus in magno suo rerum Belgicarum Chronico fol. 30. in eodem isto Leodiensi S. Petri Monasterio primitus Monachos constituisse scribit his verbis: *Ecclesiam S. Petri ædificavit (S. Hubertus antedictus) in qua nigros Monacos de Cœnobio Stabulensi posuit.*

### LEODIENSE

**M**onasterium, quod est Ordinis Vallis Scholarum piissimum Authorem habuit Roberum Principem & Episcopum Leodiensem anno 1246. carne mortali resolutum, & de prima hujuscemodi fundatione Anonymus Author magni Chronicus rerum Belgicarum fol. 235. occurrit in hæc verba legendus: *Eodem tempore (circà annum 1233.) Leodii in loco qui dicitur Granaria fundata est Ecclesia B. Mariæ, que Insula B. Mariæ dicitur, ubi primò Canonici Regulares fuerunt, sed post fratres de Ordine Scholarum. De quo eodem Ordine seu prima institutione illius videri poterit Augustinus Barbosa de Jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 41. num. 34. fol. 550. & Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano part. 2. cap. 27. fol. 110.*

Sed ecce! pro ampliori Leodiensis Monasterii hujus notitia juvat hic subdere ea quoque, quæ de eodem nuper meminerunt notissimæ illæ Circulares, uti vocamus, litteræ, & sic habent: *Leodium convocati sunt paucis abbinc annis Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ, quod eorum in reformanda disciplina consortium expetierint Vallis Scholaris Canonici. Præclaræ huic Gallorum intentioni hanc in rem mordicus obstatere pauci quidam Potentes, nefcio, quo Spiritu ducti seu impulsi, eosque ad Romanum Tribunal appellarent, qui illic se sisterent ad conditum diem; profecerunt tamen his artibus suis omnino nihil tenta per omnes modos avita eorum mansuetudine, quam ut Gallorum Institutum comitetur novus Leodiensem favor, qui verò interea ne gratis amari ab omnibus viderentur velle, Nobilium Puerorum educationi sedulò vacant, erecto non ita pridem Domicilio quodam, ubi Adolescentes sub eorum testo omnibus honestæ vitae & literarum disciplinis erudiuntur.*

LEO-

## LEODII

Ibidem claruit haec tenus adhuc alia quedam Regularium Clericorum Abbatia, suo nomine Scholarum appellata, quam aliquando incoluerunt Canonici S. Genovefæ, qui tamen ætate nostra occasione belli terris istis & Civitati Leodiensi illati denuò vel in loco cedere debuerunt, & de eodem hoc Monasterio in litteris Circularibus jam ante memoratis de anno 1674. habentur sequentia: *Vobis dicere supersedeo, quid Romæ actum sit in multiplice negotio & repetita deliberatione Regularium, quod notum est pro Abbatia S. Mariae Vallis Scholarum in civitate Leodiensi; fana votum jam prævertit, nec vos latere potuit, quæ acriter a Jure nostro quasi de suo à Legatis Romani Imperatoris, Regum Galliæ & Hispaniarum decertatum sit atque discriptum.* Tandem lis in jus adducta est die 14. Novembris in Congregatione Cardinalium & Præsidum quæ plurimorum, qui omnes de jure nostro decretum facere noluerunt inter possessionem permittentes. &c.

## LEODIENSE

S. Dioysio Areopagitæ Episcopo & Martyri dedicatum Canonicorum Regularium Collegium à S. Notgero Leodiensi Episcopo conditum recensetur à Gabriele Pennotto in hist. tripart. lib. 2. cap. 38. num. 7. in hæc verba notatum: In eadem Civitate anno 987. idem Notgerus Nitardo majoris Ecclesiæ Custode Administrante condidit Ecclesiæ in honorem B. Martyris Dionysii in qua primùm viginti, posteà decem additis, triginta Canonicos instituit. Miræus ibidem cap. 61. ex Ortelio & Aegydio Bucherio. Factus est autem Notgerus Leodiensi Episcopus anno 971. & obiit anno 1007. Hæc Pennottus loc. cit. cuius verba in rem præsentem confirmat etiam Magnum Chronicum rerum Belgicarum Pistorianæ editionis vel paucis fol. 86. ita legendum. Per Richardum Custodem Majoris Ecclesiæ condidit (S. Notgerus) cum 20. Canonicis, quibus postea decem sunt additi.

## LEODIENSE

Anno 979. idem Notgerus (Leodiensis Episcopus antedictus) Ecclesiæ sub invocatione S. Crucis cum Claustro pro quindecim fratribus Canonicis ædificavit, & dedit. Miræus ibidem. Pennottus loco citato, præter quem Anonymus Author magni Chronicæ Belgici fol. 86. de eadem S. Crucis Ecclesia seu de nova institutione illius sic habet: Cū Vir nobilis ac potens (Defensor nomine) locum supereminenter civitatis, ut ibi habitationem conderet, ab eo (S. Notgero Leodiensi Episcopo) peteret, Episcopus sentiens hoc fore in perniciem Patriæ, non assensit, sed per Robertum Majoris Ecclesiæ Præpositum ordinavit in eum ipsum locum S. Crucis Ecclesiæ cum redditibus quindecim Canonicorum, quibus viualia necessaria curavit, & in qua idem Robertus sepultus est. Hæc ibi. Porro hic notandum, Obertum quendam hujatis Ecclesiæ ad S. Crucem Præpositum anno 1092. ad Episcopale solium Leodiense fuisse promotum, de quo loco citato fol. 133. sic habetur: Defuncto bonæ memorie Henrico Obertus ex Clero ejusdem Ecclesiæ canonice electus succedit, qui Obertus fuerat Præpositus Ecclesiæ S. Crucis in Leodo, & per Henricum ejectus servivit fideliter.

## LEODIENSE

Canonicorum Regularium Collegium cum aspectante Ecclesia sua S. Martino Episcopo Turonensi & Confessori dicatum recensetur à Pennotto nostro in hist. tripart. cap. 38. num. 7. vel breviter in hæc verba notatum: Eraclius post Baldricum Episcopus Leodiensi (anno 960.) factus, duo in Urbe Leodiensi Monasteria construxit, ad titulum S. Pauli, & ad titulum S. Martini Episcopi. Siebertus in Chronicæ &c. Item in magno Chronicæ rerum Belgicarum fit etiam mentio Martiniani Cœnobii hujus fol. 86. sub his verbis: Claustrum B. Martini muris & turribus firmavit, S. Notgerus Leodiensis Episcopus subintellige.

## LEODIENSE

A iud Doctori gentium seu S. Paulo Apostolo cum adspectante Ecclesia sua dicatum ejusdem prorsus cum priore Status ac Religionis Collegium in sèpè citato Chronicæ rerum Belgicarum fol. 86. vel brevissimè solum adnotatur sub his verbis: Ecclesiæ S. Pauli à fenestris & supra consummavit, & bonis adjectis, ubi viginti tantum erant Canonici, ibi triginta constituit &c. Et hæc eadem tam de Paulino isto quæ proximè præcedente Martiniano utroque Collegio isto confirmat etiam Pennottus sup. cit. ex Miræo de Cann. Sæcul.

## 30 GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA.

cap. 55. & 58. Sigeberto & Aegydio Bucherio ita scribens: Porro in dictis Monasteriis Canonicos institutos monstrat historia Notgeri Episcopi, quae sic habet: Ecclesiam S. Pauli à fenestris & suprà consummavit, & bonis adjectis, ubi viginti tantum erant Canonici, triginta perfecit. &c.

### LEODIENSE,

Cœnobium S. Joannis Evangelistæ in Insula anno 972. S. Notgerus Leodiensis Episcopus fundavit, in quo triginta Canonicos constituit. Sigebertus in Chronico. Aegydius Bucherius in Chronico. Miræus de Collegiis Sæcularibus cap. 59. Hæc Pennottus in hist. tripart. lib. 2. cap. 30. num. 7. quæ eadem refert sæpecitatum Belgarum Chronicum fol. 86. vel paucis ita legendum: Tertiam (apud Leodienses) Ecclesiam, scilicet B. Joannis Evangelistæ, ex suis sumptibus condidit & utensilibus, reliquiis, & possessionibus sufficientibus & triginta Canonice ibi constitutis ditavit sæpefatus S. Notgerus Leodiensis Episcopus.

### LEODIENSE,

In eadem civitate Baldricus secundus (Leodiensis Episcopus anno 977. huic saeculo defunctus) Ecclesiam S. Bartholomæi in Leodio dedicavit, quam Godefridus Præpositus majoris Ecclesiæ ædificavit, & duodecim fratres ibi instituit, & suis allodiis ditavit. Dicitur, quod S. Ulbertus Martyr ibi quiescit. Molanus in Natalibus ad diem 22. Octobris. Ita Pennottus loco cit. item in sæpecitato Chronicò Belgico de eadem S. Bartholomæi Ecclesia fol. 243. recitantur sequentia: anno Domini 1256. Reliquæ S. Bartholomæi Leodium à Roma adductæ in sua Ecclesia per Præpositum ejusdem Ecclesiæ reponuntur. &c.

### S. LEONARDI,

Quoddam Canonicorum Regularium apud Helvetios, atque istud sub districtu Diœcesis Constantiensis in Turgovia superiori ætate conspicuum, de quo Bruschius, de Monasteriis Germaniae cent. ima. fol. m. 116. sic legendus nobis occurrit: Wernherus iste (Monasterii Sangallensis Abbas ex computo Bruschii citati numero tricesimus primus) ante muros Sangallenses fundavit & suis sumptibus extrui curavit Præposituram S. Leonardi, quæ erat Regularium aliquot Canonicorum habitatio, ac Cœnobium, quod tamen Abbatis Chunonis (qui ab anno 1379. usque 1411. præfuit) tempore iterum propter bellicos tumultus desertum est, cum floruisse annis 350. annui redditus sunt San. Gallum translati. Postea eversum est penitus unanimi S. P. Q. Sangallenfis sententia anno Christi 1530.

### LEONTII

In notâ Marchiæ (quæ veteris Wandaliæ pars est amplius à Zeillero in continuatione Itinerarii Germaniæ cap. 17. fol. 205. descripta) Brandenburgicæ Civitate (de qua itidem legi poterit idem Zeillerus in Itinerario fol. 383. item 674.) olim constituit quoddam Canonicorum Regularium Asceterium, istud tamen mutata Religionis facie in totum jam pridem fataliter extinctum, & dehinc nobis vix de nomine suo notum, & quidem ex solo & unico Alberto Kranzio in Metrop. lib. 4. cap. 39. in hæc verba commemoratum: Tunc etiam (circâ annum Christi millesimum) Cœnobia siebant Sanctorum Virorum canonice viventium, sicut testantur ii, qui in Lubeck, Altenburg, Leontio, & aliis civitatibus viderant. &c.

### LEUSA,

Taliter simplici nomine suo dictum antiquissimum Ordinis Canonico-Augustiniani Parthenæum primitus quidem in Valesia (quæ certa pars est Helvetiæ nostræ Germanicæ) quoconque demum tempore & Authore intrâ Diœcesanos limites Sedunenses fundatum, & ædificatum, exinde vero Augustam Prætoriam notam Principatus Pedemontani seu Salassorum Urbem ad Duriam Fluvium versus Alpes Grajas de meliori Superiorum consilio translatum; quod factum est annis abhinc ferè ducentis, atque isthic loci Venerabile domicilium illud cum adjuncto templo S. Catharinæ Virginis & Martyri dicato, hodiè præclarè sati satis emicat, habens Priorissam, quæ quidem officio suo solùm triennalis est, adhuc tamen eadem amplius ad aliud triennium pariter eligibilis, sic tamen

de

de prævio consensu & authoritate Ordinarii, è ejus nutu pendent, & Spirituali illius Jurisdictioni subjacent Religiosissimæ Canonissæ istæ; qualiter de hoc me per litteras edocuit magnus ille (uti vocatur) Præpositus gemini Xenodochialis Cœnobii Montis Bernardi Reverendissimus, ac Illustrissimus D. D. Antonius &c. Dominus, ac Patronus mihi gratiosissimus. &c. &c.

## LIPPSTADIUM,

Famosa Westphaliæ civitas in Diœcesi Paderbornensi, ac cognomini amni Lippio propius ad sita, atque eadem hæc tum Electori Brandenburgico, tum Principi Waldeckensi jure territoriali subdita, & dehinc à Religione Romano-Catholicâ etsi prorsus alienâ in medio Nationis pravæ colit & sanctè custodit Venerabile quoddam Canonici Ordinis Parthenæum Congregationi Windesimensi combinatum, istud tamen (hæresi undique plusquam fortiter obſistente) tum de avitâ primâ fundatione, tum de moderno statu suo haud amplius inquirendum.

## LIPSIENSE

Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini Collegium in honorem S. Thomæ Apóstoli fundatum olim insigniter floruit in ipsa Civitate Lipsiensi. Ejus primordia referuntur ad annum 1193. Chronicon Terræ Misnensis apud Menckenium Tom. II. script. Rer. Germ. fol. 323. de eo habet sequentia: Anno Domini 1193. Hermannus Landgravius Thuringiæ, filiam sum desponsavit Theodorico filio Ottonis Marchionis Misnensis, sicque discordia inter eos habita fuit sedata. Hic Theodoricus fundator fuit Canonicorum Regularium in Lipzic apud S. Thomam. Lipsienses oblii omnis honoris & fidei, præstitique homagii, opposuerunt se feudali ac naturali Domino suo Theodorico. Et cives expulerunt primum Præpositum S. Thomæ, dicentes ipsum esse causam discordiæ, & multa damna intulerunt Monasterio, specialiter in lignis aptatis ad ædificia Monasterii. Post aliquod tempus concordia facta inter Cives & Dominum Theodoricum, pensata sunt damna illata Monasterio, pro quibus restaurandis duos Cives Proconsules posuerunt pro fidejussionibus, promittentes velle satisfacere. Postquam plurima tempora elapsa fuerunt & Præpositus nihil in recompensationem reciperet, monuit fidejussiones, quorum unus negavit, & juravit, se nihil scire de promissione, seu de fidejussione, unde in brevi mortuus est subitanè. Alter similiter negavit, sed videns qualiter socius suus mortuus est, recognoscens fatebatur, & in fine vitæ dedit domum suam Monasterio in recompensam, ea tamen conditione, quamdiu uxor sua viveret, possideret anteriorem domum, post cujus mortem haberet Monasterium totaliter. Prædicti Monasterii Ecclesie S. Thomæ Ordinis Cann. Regg. Pater primus, erat quidam Plebanus de Olschitz dictus Conradus, qui ob desiderium Margravii Theodorici suscepit curam hujus Monasterii. Hic inchoans Religiosam vitam, collegit quosdam fratres ad se, quibus aliquamdiu præfuit. Tandem vidit, quod fratres collecti non ita obedienter vixerunt, quia nimis strictam vitam duxit; occultè recessit in Hallis. Videntes autem fratres, se esse sine regimine, & ita in Religione deficere, per preces multas eum reduxerunt, qui bene exhinc rexit usque in finem vitæ suæ.

Post hunc fratres ac Domini ibidem collecti elegerunt sibi Præpositum, dictum Wernerum, sub quo Margravius dotavit, & beneficiavit Monasterium. Hic Præpositus multa bona fecit Monasterio. Nam parietes dormitorii magnificè erexit, & domum illam ædificavit ex altera parte, quæ tangit chorū. Item Lampadem dormitorii instituit incendi, ut per noctem arderet. Item comparavit tres partes Bibliæ, pluresque Libros cantuales chori ac Missales procuravit. Quo mortuo Domini ac Fratres Monasterii elegerunt alium Prælatum, postulantes unum de Hallis; quo confirmato, religiosè vixit, & bene rexit per plures annos quousque sibi videbatur, quod forte religiosorem vellet eligere vitam, abiit occultè, nescientibus fratribus ad Episcopum Mersenburghensem. Resignavit Prælaturam, petens se absolvī, præsentavit sigillum Episcopo, eo absoluto recessit. Episcopus autem Mersenburghensis sicut fidelis Protector sollicitus de cura Monasterii, cum paucis de curia sua equitavit, venit in allodium Olschitz, locatus est Provisorii allodii, qui erat Conversus unus, dispositus quoque cum eo, quod invitaret aliquos fratres de Monasterio suo seniores, & potiores, & faceret ipsis unam cœnam seu merendam, & lætarentur in suis allodiis, & ut nemini revelaret adventum suum, quod ipse vellet adesse superventurus improvisè. Conversus ille, scilicet Provisor allodii, fecit, quæ sibi Episcopus commisit diligenter. Venientibus itaque Patribus Monasterii ad convivium seu prandiolum in allodio, comederunt & biberunt, & lætati sunt

sunt valde, ignorantes talem recessum Præpositi eorum. Tandem, ut præordinatum fuit, Episcopus improvise veniens & videns Dominos territos de suo adventu improviso consolabatur eos dicens: Nolite terrori, veni enim propter melius vestrum. Nam dico vobis, quod Prælatus vester resignavit, & absolutionem per preces suas obtinuit ab Præposituræ officio. Ecce sigillum mihi præsentavit, quod restituo vobis. Nunc ergo elige vobis alium, fidem vobis, & Monasterio vestro, quem aptiorem scitis, & religiosiorem. Hoc audientes Domini & Patres Monasterii, nimis breviter præmeditati posuerunt in arbitrium Episcopi, quemcunque ipse eis eligeret ac præficeret ipsis, qui sibi melior videretur, ipsi vellent eum benigne acceptare. Episcopus vero perpendens plurima inconvenientia in longis ac propinquis temporibus posse evenire, respondit: Non Fratres ac Domini mei, ego non volo vos privare electione vestra libera. Si enim ego hoc nunc facerem, omnes successores mei privarent vos electione, aut impugnarent. Dato enim uno inconvenienti, sequuntur plura. Sed ite in Monasterium vestrum, & convocate eos, qui vocandi sunt, & eligitte vobis Præpositum secundum canoniam sanctionem. His auditis Domini ac Patres multum grati erant de informatione Episcopi. Postea recessit, & ipsi abierunt, & electo Canonice Prælato confirmatus est ab Episcopo. Chronicus Montis Sereni Author ad annum 1221. Primum Præpositum *Wernberum* (cujus mortem ad hunc annum XVI. Kal. Martii refert) Ejus vero successorem *Wilhelnum* vocat, quem à Capitulo Sereni montis in numerum fratrum suscepimus suisse scribit. Reliquorum Præpositorum nomina me latent præter *Joannis Grundmanni*, de quo mox plura. Floruit hoc Collegium pluribus viris litteratis præsertim post fundatam Lipsiensem Academiam cuius sub Conservatores, ut apud eundem Menckenium videre est, aliquoties fuere Præpositi Thomani. Inter Thomanos Præpositos Sæculo decimo quinto Scriptoribus Canonicis adnumerari meretur *Joannes Grundeman* qui circa annum Domini 1466. floruit. Scripsit sermones varios, ac tabulam super Repertorium Morale Petri Berchorii. MS. adhuc extat in Bibliotheca Universitatis, ut testatur Joëcher Lexicon Eruditorum. Jurisprudentia tum sacra quam prophana eodem Sæculo inclaruit *Joannes Cerasianus de Monte Regio*. Typis excusus est ejusdem commentarius ad Capit. SENTENTIAM SANGUINIS, in 4. in cuius fronte leguntur sequentia: Repetitum & resumptum est hoc C. SENTENTIAM SANGUINIS, in alma universitate Liptzeni, ex commissione & Mandato egregii & eximi Viri D. Johannis de Breytenbach U. J. Doctoris, inclitæ facultatis juridice inibi Ordinarii, per Venerabilem Virum Johannem Cerasianum de monte Regio, Decretorum Bacalarium, Collegii S. Thomæ Apostoli ibidem Canonicum Regularis; impressumque per Melchiorem Lotter civem Liptzensem anno Christi MCCCCXCIX. De Gudenus in Sylloge I. Varior. Dipl. p. 442. Post sacra à Lutherò mutata hoc quoque Collegium in publicam Scholam mutatum fuit, quibus fatis aut quo jure mihi non constat.

### LIVONIA,

**T**eutonicè *Liefflandt*, quæ est Regio inter Prussiam ad meridiem, & Russiam albam ad Boream Samogitia comprehensa à Michaële Antonio Baudrand in novo Lexico Geographico part. 1. fol. 428. uberioris descripta, atque eadem ipsa prioribus saeculis Superiori quidem Germaniæ nostræ (uti refert Zeillerus in Itinerario Germaniæ cap. 24. fol. 518.) connumerata, hodie tamen sub dominio tum Magni Ducis Moscoviae, tum Regum Poloniæ & Sueciæ detenta, primordia Christianitatis suæ, seu primam suæ gentis ab Idololatria & Paganismo ad Lucem Evangelicæ veritatis conversionem, sub finem saeculi duodecimi, & rectè quidem anno 1194. factam, præ ceteris debet Canonicis Regularibus sacrae Regulæ Augustinianæ Professoribus, quorum potissimum fuisse perhibetur B. Meynardus Presbyter è Monasterio Sigebergensi postulatus Magnus Livoniæ Apostolus, qui zelo animarum nimium quantum exæstuans, non nisi populo terre à Superstitionibus Gentilium abstrahendo, eique Christianis moribus imbuendo, pluribus annis indefesse studuit, eaque propter à S. Ansgario Metropolitano Bremensi in primum Livoniæ Episcopum ordinatus, magnâ sollicitudine continuò novæ Ecclesiæ Rigensi quantocuyus inædificandæ totus quantus incubuit, eaque perfecta, post immensos labores in vinea Domini consummatos, ad capessendam meritorum æternam retributionem desuper evocatus Cœlos intravit; post quem apud Livonienses munus Pastoris suscepit, & Rigensem Ecclesiam de posthac regendam suscepit Bertholdus quidam Ordinis Cisterciensis Alumnus, idem de hoc in Chronicis rerum Belgicarum fol. 204. in hæc verba laudatus: *Istis diebus (anno 1194.) in Livonia, quæ est inter Sueciam, Prussiam, & Poloniæ quidam Abbas Venerabilis Bertholdus nomine, Cisterciensis Ordinis Christum prædicabat Paganis cum omni instantia, qui etiam secundus factus Episcopus post Meynardum (qui fuit ex Regularibus, & primus prædicaverat in illa Provincia) diu perseveravit, & postmodum interfactus martyrian promeruit &c.*

LUBEN.

## GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA. 33

### LUBECENSIS,

Episcopalis Ecclesia in inferiori Saxonia ceu Suffraganeatus sub Metropolitana Bremensi comprehensa, eaque primum Auctorante Ottone primo (qui cognomento *Magnus*, inaudit, & Imperium illius ab anno 938. usque 973. perduravit) fundata in propria sua S. Joannis Baptiste & Præcursoris Domini Cathedrali Ecclesia antiquioribus Sæculis continuò duodecim Clericos enutritivit, quos genuino statu suo Regulares fuisse vel ex eo liquet, quod eadem ipsa Lubecensis Ecclesia una fit & fuerit de Saxonice, quas olim non nisi in sacro Ministerio seu Clericali officio Regulares habuisse jam sèpius dictum est in antecedentibus, ut & pariter liquet ex sequentibus.

### LUBECENSE.

Præter recensitam Cathedralem Ecclesiam adhuc unum & alterum (imò etiam fortè plura) in eadem Imperiali Civitate Lubecensi, sub annum circiter 1060. constitisse sacri Ordinis nostri Collegitum, & quidem tunc temporis recens institutum, dilucidè sati ostendit sèpè citatus Albertus Krantzus jam suprà in descriptione Monasterii Leontici in id adduētus, ubi sic habet: *Tunc etiam per singulas (Wandaliae) Urbes Cenobia siebant Sanctorum Virorum canonice viventium, sicut testantur ii, qui in Lubeck, & aliis civitatibus viderunt. &c.*

### LUCELLENSE,

Cognomento minus, vulgo *Klein-Lüzel*, & sic quidem ad differentiam alterius ejusdem (quod communiter Lucellense majus inaudit, & Cisterciensis Ordinis Asceterium est) communiter appellari solitum, jam pridem antiquatum apud Helvetios in Diœcesi Basileensi Monasterium Canonicorum Regularium Authore non notatō, decurrente tamen seculo undecimo, pro sanctimonialibus antedictæ familie Cisterciensis fundatum, subinde verò seu post aliquot annos, quibuscumque demum ex causis, ad Canonicos Regulares translatum penes istos perduravit usque ad annum 1264. quo decurrente (dum jam antè Religiosum Claustrum istud mille casibus terribiliter infestatum tantum non omnino defecit) de meliori consilio & autoritate Ordinariâ, alteri cuidam, & quidem Basileensi ad S. Leonardum jam suprà recensito, pleno jure fuit additum & incorporatum.

### LUCIANUM,

Seu communiter *Vallis S. Lucia*, nuncupatum, propè Trudonopolim in Diœcesi Leonensi, Religiosissimum quondam de Venerabili Congregatione Windeſimensi Parthenaeum, sub initia seculi decimi quinti fuit apparatum, & habetur istud secundum primogeniam Originem suam à Joanne Hoybergio in notis ad Historiam Corsendoncanam fol. 146. taliter annotatum: *Guilielmus quidam de Welle consentiente coniuge donationes, ut vocant, inter vivos contrarerat, cedensque suas hereditates Trudonopoli è regione Abbatiae pro erigendo ibidem Virginum Monasterio sub habitu & ordine ab Ecclesia approbato; quibus præterea omnia sua mobilia assignaverat, octodecim modios Siliginis annuus, & bujus fundationis Executores Waltherum Girolanum Priorem de Corsondona, & Henricum Marcick, & Religiosum Ordinis Carthusiani in Zeleſen propè Disibedium, aliósque duos. Verum cum Abbas S. Trudonis Robertus à Ryckel nulla ratione induci potuisset, ut in sua Parochia & loco Abbatia proximo Monasterium condiceretur, Executores hoc loco vendito alienum opportuniorem emunt extra oppidum sub Parochia & juxta fontem S. Joannis Baptiste, unde & ipsum Monasterium Canonistarum Regularium inclusarum Commissarium seu Visitatorem deputavit idem Episcopus Priorem Bethlemiticum (Lovanii) deinde Priori Leonensi ac postea Tironiano, ac nominatim Authori nostro (Joanni Latamo) tandem Tungrenibus auctoritate Episcopali subiecta fuit, cui & hodièque subest.*

### LUNENSE,

Seu celeberrimum quondam apud Saxones Orientales in Diœcesi Verdensi Canonistarum Regularium Collegium in oppido, (de quo videri potest Zeillerus in continuatione Itinerarii Germaniae cap. 31. fol. 419.) *Lune* cognominato fundatum inclaruit. Hujus autem Parthenii Cætus Rector in Spiritualibus in diebus suis fuisse laudatur nobilis Vir Henricus à Langen nuncupatus; idem postmodum anno 1364. ad Episcopalem Cathedram Verdensem promotus, & dehinc à Bruschio de Episcopis Germaniae tom. 1. cap. 14. in Henrico 41. Episcopo Verdensi *Vir pius, mitis, ac placidus* constitisse commendatus; item à Krantzio in Metropoli Saxonie lib. 10. cap. 8. recensitus: *Verdensi Ecclesie Tom. V. Cann. Regg. Origines.*

## 34 GERMANIA CANONICO-AUGUSTINIANA.

*per illa tempora circa annum 1364.) dum Gerardus transfertur ad Hildesheimensem (Episcopatum) memorabilis Vir Henricus de Langen ertus oppido Luneburgensi & bona familia ordine Pontificum in illa Ecclesia quadragesimus primus sedit annis octo. Erat autem ante Præpositus Virginum in Lune Canonicus Verdensis. Obiit demum anno 1380. die 3. Januarii in sua Verdensi Ecclesia sepultus.*

### LUNEVILLENSE

**M**onasterium, seu nobilis temporibus nostris apud Lotharingos Abbatis Canonorum Regularium Congregationis (ut vocant) Salvatoris, in ipsa civitate Luneville nuncupata, sub limite Diœcesis Tullensis hodie perstat perinlyta, alias proprio nomine suo S. Remigii intitulata, atque eadem hæc à Pennotto nostro in his tripart. lib. 2. cap. 39. n. 12. vel paucis taliter annotata: *In Tullenſi Diœceti Provinciæ Trevirensis sunt duo Monasteria Canonorum Regularium ex lib. Taxarum, quorum unum Calmonstratense (de quo jam supra suo loco & ordine dictum est) alterum de Luneville, cuius etiam fit mentio in libro Constitutionum Benedicti XII. Et sic ille; cui pro pleniore rei notitia juvat hic superaddere ipsam quoque fundationis hujus historiam, & modernum ejusdem Canonie hujus statum, à Reverendissimo ac Clarissimo Domino Francisco Merckier, quondam Claustralibus loci hujus Priore in rem præsentem gratijs nobis communicatam, quæ sic habet: Fuit pri- mus Canonie hujus nostræ Fundator Folmarus Comes Metenfis, qui anno circiter 990. Monachos ibidem constituit. Is duos, quos sibi Charissimos habuit filios Folmarum & Hermannum Francorum Comites, qui pariter Fundatores habentur, & quidem eò fortè quod Monachos antedictos ob deprava- tos conversationis suæ mores & execrandam bonorum æquæ mobilium ac immobilium dilapidationem an- no 1034. loco cedere coactos & exterminatos in vices illorū Claustrales Virgines seu Moniales illuc introduxerint; quibus denū ad unam omnibus lenta tābe consuētis, sub decursum saeculi undeci in- succederunt Canonici Regulares sub Durando Abate Bello Campensi istibuc introduciti. Cui ceu Reli- giosissimo Ascetæ tanquam Virorum plenarium Abbatiae hujus regimen fuit demandatum, donec intra breve tempus creatus fuerit Abbas.*

- I. Cono electus anno 1130.
- II. Alberto anno 1154.
- III. Henricus anno 1175.
- IV. Joannes I. anno 1195.
- V. Otto anno 1205.
- VI. Bertrandus anno 1225.
- VII. Joannes II. anno 1267.
- VIII. Joannes III. anno 1313.
- IX. Ludovicus anno 1333.
- X. Waltherus anno 1388.
- XI. Joannes IV. cognomento Silvester anno 1421.
- XII. Dominicus Rentier anno 1461.
- XIII. Ludovicus II. Nanceyo anno 1473.
- XIV. Philippus Franguin anno 1474.
- XV. Antonius de Magneris anno 1507.
- XVI. Theobaldus Vincent. anno 1543.
- XVII. Franciscus de Porte Sieix anno 1553.

Post hujus obitum Claudius de Saintes Canonicus Regularis ibidem professus Abba- tiā administravit, donec proximè sequens Bullis Apostolicis fuerit confirmatus, quo eodem perdurante tempore ipse etiam cum qualitate Abbatis Lunevillensis interfuit Con- cilio Tridentino, et si revera officium Abbatis sex solū aut septem mensibus exercuerit.

- XVIII. Michael de Grandis anno 1579. obiit.
- XIX. Jacobus de Megnien anno 1621. & hic spontanea resignatione sua Commen- dam invexit.
- XX. Carolus à Lotharingia Dominus Gorziæ fuit primus Commendatarius anno 1648.
- XXI. Carolus Dux Lotharingiæ secundus Commendatarius, qui tenuit usque ad an- num 1662. atque resignavit Successori suo proximè sequenti.
- XXII. Christophorus de Hordal Commendatarius tertius &c.

Fertur Abbas S. Remigii fuisse olim Dominus Urbis ipsius Lunevillæ, at hoc jure cessisse in gratiam Serenissimorum Ducum Lotharingiæ, qui in compensationem plura alia bona & privilegia huic Ecclesiæ contulerunt, Dominum habet altum in pagum de Ben- menit,

menit, & utile in pagos Fromondivillæ, Folcerii, & alios. Huic Abbatiae unitæ sunt Ecclesiæ Parochiales dictorum Urbis & Pagorum, nec non aliorum aliquot, in quibus Curati seu Rectores & Parochi sunt Canonici Regulares dictæ Congregationis.

## Littera M.

## MAGDEBURGENSE.

Ecclesia Metropolitana, vel olim titulo & dignitate Primatus Germaniæ decorata, eā que suffraganeas sibi subditas habens quinque, videlicet Merseburgensem in Thuringia, Cicciensem in Misnia, Brandenburgensem in veteri Marchia, Havelburgensem in Saxonia, & Misnensem in eadem Provincia situatam, de principali seu Metropolitana Sede sua, item de primæva fundatione sua recensetur ab Alberto Krantzio in Metropoli Saxoniæ lib. 6. cap. 12. taliter descripta: Otto Magnus dum expeditionem primam terminasset in Italiam, voto constrictus, quod Milites sui se invito Monasterium S. Mauritii (alias Agaunense dictum, de quo jam supra) habuissent inhonoratorium, novum extruere Monasterium in honorem ejusdem Divi Mauritii. Idque opere complevit, dum rediret in Magdeburg; ibique fundavit Monasterium Fratrum Divi Benedicti, Mauritium faciens sanctum loci Tutelarem. Ad sequentia verò tempora cum crescere cerneret civitatem, multiplicarique populum Christo crediturum per vicinam Wandaliam, erexit in eodem loco Ecclesiam Metropolitanam: sed cùm esset Ecclesia futura Metropolitica, non erat Fratribus Divi Benedicti locus propter Cæremonias multas, fratribus alienas, in Ecclesia prima peragendas. Igitur deputavit Otto fratribus locum extra muros in monte, ubi jubebat refici Cœnobium, translati sunt igitur, licet plurimum renentes & inviti, & in Vigilia S. Laurentii emigraverunt, cuius emigrationis mæstissimæ diu annuam peregrine memoriam in Vigilia Divi Laurentii, prædia pridem data illis remansere ad cultum. Cæterum Ecclesiæ Metropolitanæ contulit, quæ Pater suus Henricus largitus est Episcopatu Vallersleve, qui ex illo die cessavit translatus potius quam extinctus. Tum verò in Magdeburgo crediderim Regulares fuisse Canonicos, sicut ferè per omnes Ecclesiæ &c. Ita Krantzius citatus, cui pro confirmatione dictorum operæ pretium nobis visum est, nostrum hic etiam subdere Nebridium in Antiquario Monastico in Epist. 139. fol. 637. vel breviter in hæc verba differentem: In hac (Superiori nostra Germania) reperio Ecclesiæ Cathedrales ultra quadraginta, quæ olim vivebant vitam Apostolicam, Magdeburgensis primas tenet. Porro extat ad calcem Witichindi Meibomiani coeva de anno 967. notitia, quæ conceptis verbis testificatur Othonem Magnum, antequam Magdeburgensem S. Mauritii Ecclesiam ad Archi Episcopalis Cathedræ honorem efferret, Canonicos ibi Deo simulantes constituisse. Idipsum abundè confirmat Chronologus Magdeburgensis; quippe qui post expositam Ordinationem Adalberti Archi Episcopi Magdeburgensis primi & Suffraganeorum ejus testificetur, jam antè Monachos de Ecclesia S. Mauritii exiisse. Monachi autem, inquit, ad annum 969. qui prius ibidem conversabantur (sub Abate) transpositi sunt in monte, qui dicitur ad sanctum Joannem in suburbio ejusdem civitatis (Magdeburgi) quinto Idus Augusti, hoc est in Vigilia S. Laurentii Martyris; qui multis retrò annis ob devotionem & recordationem ejusdem transpositionis nudis pedibus eadem die facere solebant processionem in Urbem, & quæ sequuntur. Plura in eam rem testimonia ex Diethmaro Merseburgensi Episcopo & Magdeburgensi Ecclesiæ Canonico ac Confratre repeti possent, in Chron. l. 5. sub fin. sed supervacaneum est, quod jam nemini dubium potest esse, multis argumentis confirmare. Hoc tamen loco non permittam, quin explicem Diethmari præsertim verbis, quæ Canonicorum Magdeburgensium disciplina decimo sæculo & undecimo fuerit. Tametsi Abbas & Monachi Magdeburgenses ad Ecclesiam S. Joannis exiissent, ut Canonici venirent in possessionem Mauritanæ Basilicæ, nihilominus Ecclesia S. Joannis tota fuit in potestate Archi Episcopi, l. 7. sub finem, qui id egit, ut hinc Monachi, inde Canonici in sua quique Ecclesia regularem vitam & communem viverent. Quanta sollicitudine, inquit Diethmarus, l. 3. idem (Adalbertus Antistes Magdeburgensium primus) suis subditis invigilaret gregibus, Lector, attende. Sæpenumerò ad ovile S. Joannis Baptistæ, & Sancti Mauritii noctis silentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque Confratres ad matutinam convenienter, vel qui in Dormitorio remanerent, ex improviso perspexit: & si bene fuit, Domino gratias egit: fin autem, culpabiles digna castigatione redarguit. Clerus & Populus tanti Patris funere turbatus Otricum confratrem, & tunc Imperatori fideliter servientem com-